

1653

1. Adr: Catharina von Ackerbaum – Aut: Olaus Wexionius (Naeniae in obitum /.../ Catharinae von Ackerbaum, quae 6. Septemb. 1650. /.../ prognata, 10. ejusdem renata, 30. vero Septembris anno 1653. cum annos tres /.../ explevisset, /.../ denata terraequa matri in Templo Johannitico Dorpati 6. Octobris an. 1653. /.../ insinuata. Ab amicis et condolentibus deproperatae. Dorpati Livonorum, <1653>: J. Vogelius)

UUB (def), [Tartu UB (def)]

EPICEDIUM

*Seu heic quis multos vitae traduxerit annos
 Seu mox in floris limine primo obeat:
 Est hoc a Domino, qui vitae tempora nostrae
 Distribuit solus dinumeratque dies.
 5 Hinc, o mortales, lucis quam donat usuram
 Jova, decet grata sumere quemque manu;
 Nil etenim incusare juvat <decreta Tonantis>
 Quod placet ei, nobis displicuisse nefas.*

M. Olaus Wexionius,
 Polit. et Hist. Prof. P.

2. Adr: Catharina von Ackerbaum – Aut: Gudmundus Lidenius (cf. 1) UUB (def), [Tartu UB (def)]
 EPICEDIUM

Cum dat quis saltem praestans cimelium ad usum
 mutuum, is annon id repetit dominumque redire
 ad proprium mandat quando vult? mutuum ad usum.
 Filia vestra fuit data, nobilitate Parentes
 5 clara praestantes, propriam sibi vendicat ille,
 sangvine eam proprio qui aeterna a morte redemit.
 Is quoque eam repetit jam num hoc consulite ergo
 optimi, et huic grates animo gratissimo habete.

M. Gudmundus Lidenius,
 Facult. Philos. in Acad. GUSTA-
 VIana Adjunctus.

3. Adr: Catharina von Ackerbaum – Aut: Petrus Sporsoelius (cf. 1) UUB (def), [Tartu UB (def)]
 EPICEDIUM

**I n dem man wol besinnt mit eiffrigen Gedancken!
 was doch die Welt wol ist/ und die in ihren Schrancken
 wie ich und alle/ gehn/ befind ich dieser Zeit/
 dass nichts als Sorg und Angst/ also trübe Fröligkeit
 5 in ihr zu finden ist. Was seynd wir schönen Thiere
 wir Menschen/ mehr denn Staub? Es schmücke sich und ziehre
 ein ider auff das best/ solchs doch nicht lang besteht/
 zu nichte gäntzlich wird/ und mit der Welt vergeht:
 Wir seynd von Wiegen an mit Angst und Noth beschwehret/
 10 dass mancher tausentmahl des Tages nur begehret
 den bitter-süssen Todt; da hört man Krieg und Streit/
 Dort Pestilentz und Schwerd/ hie klagt man teure Zeit
 Und Arbeit ohne Ruh; Ein ander klagt das Glücke
 sey falsch und voll Betrug/ sey eine böse Brücke/
 15 der nicht zu trauen ist. Die Welt man billich nennt
 ein Irrwisch umb und an/ ein Ding/ das niemand kennt
 auch nicht beschreiben kan/ in der itzt nicht zu finden**

des Lebens wahre Ruh! Die Hoffnung muss man binden
 nur an das Seelen-Hauss/ das Himmlische Gezelt/
 denn Hoffnung bleibt doch fest/ wann alles nieder fällt:
 Man muss nur mit Gedult am Creutzes-Wagen ziehen
 und an der schweren Last desselben sich bemühen/
 muss nehmen Gut und Bö s mit gutem Willen an/
 O wohl dem der also der Welt entkommen kan.

- 20 25 *In Christo tuto CATHARINULA quiesce, beate
 In Christo laeta et vive, in Christoque resurge!*

Condolentiae contestandae E.
 apposuit
 Petrus Sporsoelius.

4. Adr: Christian Bernhard Buchovius – Aut: Laurentius Ludenius (In Regia Gustaviana Adolphina Academia, quae Dorpati Livonorum est, pro t. rector Laurentius Ludenius, PH. et U.J.D. poët. cor. caes. prof. ord. et regius academiae bibliothecarius, benevolo Dn. lectori S.P.P. Dorpati Livonorum, 1653: J. Vogel)

UUB, [Tartu UB]
 EPICEDIUM

Sic cito festinat decurrere Flosculus aevi,
 Siccior exurit dum langvida corpora morbus!
 Flosculus ut duro tactus langvescit aratro,
 Sic Homo demoritur, decadunt pectore sensus!

- 5 10 Ut primum humana prognatus origine parvus
 CHRISTJANUS BERNHARD BUCHOVIUS, ille tenellus
 Infans, est visus Claris Majoribus ortus.
 Ille sua celebrem referebat origine Patrem
 ZITPFELDUM Stralsundensem: BUCHOVIUS ille
 Ingenium sortitus erat memorabile multum.

Insignis Pietate ibat, Virtute verenda
 Virgo, purpureum super ora effusa nitorem
 ANNA A Spreckelsen/ cujus praenobilis ortu
 ELISABETH Bretholt fuerat nitidissima Mater;

- 15 20 Consilium summis urbis de rebus habebat
 Ipse PETRUS von Spreckelsen Pater, Arte Senator.
 Ut tantas animi dotes, floremque Juventae
 Est admiratus ZITPFELDUS; Praeside Christo,
 Ingenui calidas flamas agnovit Amoris.

Annuit Omnipotens; Animum flexere Hymenaei,
 Tibiaque effudit socialia carmina tedis
 Mutua felici Concordia Pace ligavit
 Pectora; tranquillae coluerunt gaudia vitae.

Officiosus Amor! Connubia candida, pulcram (9. Decem. An. 1645)

- 25 30 Accipiunt Sobolem; CHRISTJANUS nascitur Infans
 BERNHARD a BUCCHOW; Baptismatis amne renatus
 Praeteritas subito maculas in flumine puro
 Abluere instituit sacrosancto in Nomine PATRIS,
 NATI, Vivifici pariterque in Nomine FLATUS.

Hinc est Ingenium sortitus Nobile, claris
 Atque exercendis, capiendisque Artibus aptum;
 Et sensum coeli demissum traxit ab axe.
 Hinc postquam implerat primaevi corporis annos

- Et teneram fando poterat formare loquela;
 35 Ne pius ille canor mulcendas natus ad aures,
 Tantaque dos oris, lingvae deperderet usum:
 Jam modulabatur puerili carmina voce,
 Carmina Coelestem nostrum resonantia Christum,
 Factum Hominem, totis sperataque Gaudia terris.
 40 Tempus erat, tenerae ruditatem mentis inertem
 Ponere, et ingenij meliorem quaerere cultum;
 Tum Pater Omnipotens, rerum cui summa potestas,
 Doctos Cultores animi, Morumque Magistros
 Suggerit. Ipse pium jam culturaeque capacem
 45 Se praebet; Sophiae clarumque acceptat amorem.
 Hinc, ubi Narvensis moles cuneata Theatri,
 Moeniaque in valli formam circundata limbo; et
 Qua cataractarum claustris excluditur unda;
 Aspicit, Regalesque aspectat desuper arces.
 50 Hinc, ubi sustollit multa Arte Revalia tecta,
 Ad pelagus fabricata manu fundamina magna
 Neptuni, magnae Virtutibus aemula Romae;
 Ivit, et optatam salvus pervenit ad urbem.
 Ad Patruum venit CHRISTJANUM; pingvia grana
 55 Mutantemque graves longinqua per aequora merces; (An. 1651.)
 Officium ille pium chari Genitoris adaequat,
 Et Patris exemplo, puerili in corde latentes
 Suscitat igniculos Virtutum, et semina veri.
 Hinc ubi Dorpta sui mundi Microcosmus habetur,
 60 Ivit: Pergressus, Amitae se ad limina movit; (Anno 1652.)
 Audivitque domi, in Templisque, Scholisque Magistros,
 Queis Ducibus sancte sonuerunt Pulpita tota;
 Usque timete Deum, qui Nato et Flamine Sancto
 Aequaevis aeternus agit, Monas et Trias una,
 65 Personis distincta Tribus, Deus unus et idem
 Omnipotens, sine principio, sine fine locoque,
 Qui pecudumque hominumque genus, vitamque volantium,
 Et quae marmoreo fert monstra sub aequore pontus,
 Lucentemque globum Lunae, Titaniaque astra
 70 Principio ex nihilo Verbo Omnipotente creavit,
 Dispositaque locis, dextraque potente tuetur,
 Ne pereant errantve via, qua pergere jussa.
 Suggestum ascendit quando Sapientia coeli;
 Et Doctrina Dei, parte hujus dixit in orbis
 75 Quanta sit aeterni in nos Indulgentia Patris,
 Quantus Amor Christi, quamque aureus Halitus ille
 Insinuans sacrum radiis ardentibus aestum,
 Corda Renatorum percurrens Numine Sancto:
 Tunc una juvit solemnes ducere pompas
 80 Ad delubra pie, sacrataque visere Templa.
 Et memor ingenium Genus quod adaugeat ipsum,
 Et mens sublimis supra Genus exeat ipsum;

- Hoc Academiacum properavit adire Lyceum,
 Quo tenero praestans se pectore cuncta Vetustas
 85 Conderet, et major collectis viribus iret;
 Deposuisse malos, festosque resumere cultus
 Mens erat, et Nomen claris extendere factis.
 Hunc vero subitus sancto sermone loquentem
 Invadit dolor acer, ut orsa abrumpere cogat.
- 90 Est dolor impediens motus; vigilemque subinde
 Absque cibo, potuque tenet, sudore madentem,
 Donec difficiili langvescant corpora morbo:
 Et ceu flos celeri tactus langvescit aratro,
 Sic teneri sensim decadent corpore sensus (19. Jun. An. 1653.)
- 95 Fortunata Anima, hinc Salve: post funera coelum
 Semper habes; supero retines et in aethere sedes.
 Et quia funereum nos jam comitamur honorem
 Et placido optamus membra haec onerare sepulchro:
Illustres Domini, Arctoi Sacra Gloria Regni;
- 100 *Magnifice o nostrae Procancellariae Musae:*
Eusebiae, Eunomiae, Panaceae, et Pallados almae
Doctores: Populi Patres; Civesque Quirites;
Et tu Mercurij Soboles, Delecta Juventus:
 Dum nos Funereum tristes comitamur Honorem (22. Jun. Anno 1653.)
- 105 In longum et nostros luctus extendimus aevum, et
 Sortibus invitis, invito funere, tristem
 Protrahimus vitam, et miscemus moenia luctu;
 Adsitis: Vos funereum comitamini honorem!
 Sanctae hinc Reliquiae, tenerique hinc ossa Puelli
- 110 Et Cineres, fido Tumulo Salvete recepti,
 Donec erit, Mundi moles operosa laboret;
 Tunc rediviva una patefactis ossa sepulchris
 Elicet felix nostri Sapientia Christi.
 Illa iterum in lucem emergent, compostaque habebunt
- 115 Mox nervos intermediosque cutemque priorem,
 Cui Deus acceptam hanc Animam Virtute reponet:
 Illa ubi gestabit jam habitacula pristina carnis
 Rectrix fida erit, et redivivo in corpore deget,
 Succedensque Polo, per secula secula vivet,
- 120 Trisagionque Deo plaudenti concinet ore.

5. Adr: Christianus Bernhardi Buchovius – Aut: Andreas Windbergius (In /.../ obitum /.../ Christjani Bernhardi Buchovii, /.../ Sitpfeldi Buchovii, patritij Stralsundensis, filij, /.../ qui cum die 22. Junij, anno 1653. /.../ obdormivisset; ejusdem exuviae, sepulchro, quod est in Templo D. Johanni quondam sacro, die 26. Junij, /.../ sunt illatae: scriptum ab amicis et condolentibus. Dorpati Livonorum, <1653>: J. Vogel)

UUB, [Tartu UB]

EPICEDIUM

*Scilicet ut florem, qui jam sese exserit agro,
 Sternere Ventorum murmura soeva solent,
 Sic rosa, sic Violae, sic lilia flava per agros,
 a saevis Boreae flatibus usta cadunt:
 Sic hominem, cum flore novo, nitidoque vigore*

Laetatur, subito mors inopina necat!
Exemplum monstrat nobis nitidissimus infans
Buchovius, chari blanda propago Patris.
Sit, mortal is erat mortali corpore! Mens jam
 10 *Stelliferi sancta sede recepta Poli.*
Nos quoque mortales, quos talia funera tangunt,
Mortalis Vitae discere fata decet.

Tumba.

Buchovius jacet hic extinctus funere mortis!
Tot casus varios (heu) totus perferet Orbis:
 15 *Nil nunc divitiae possunt obsistere morti,*
Usu sicque venire solet; nunc ibimus, ibunt!

Hisce Dn. Parentes, ut opinatae spei,
 filij, sic dulcissimi Abitum inopinatum
 acerbe deflentes solari debuit
 Andreas Windbergius,
 Sudermann.

6. Adr: Christianus Bernhardi Buchovius – Aut: Magnus Laurentij Westadius (cf. 5)

UUB, [Tartu UB]
EPICEDIUM

ΠΡΟΣΩΠΟΙ'Α
Beate Defuncti.

O miserae in terris curae! Sed voce profabor
Cur mea flebilibus violatis fata querelis?
Cur largos fletus, lachrymarum flumina larga
Spargitis; atque genae guttis rorantur obortis?
 5 *Cur gemitus premitis tristi sub pectore moestos,*
Cur moesto trahitis suspiria tristia corde?
Vsque adeo morier miserum est! Ah, sistite fletus:
Mors modo Sceptra tenet toti communia mundo!
Fata manent omnes; certus stat terminus aevi.
 10 *Est igitur frustra communem plangere sortem.*
Vivite! Sic vestram praesentem vivite vitam,
Et sic praesentis vos vivite tempora lucis;
Vt veram summi vitam vivatis Olympi.

Condolentiae causa cecinit
 Magnus Laurentij Westadius,
 Ner. Svecus.

7. Adr: Christianus Bernhardi Buchovius – Aut: Laurentius Jonae Blybergh (cf. 5) UUB, [Tartu UB]
EPICEDIUM

Dialogus pie Defuncti,
Et Dn. Patris Superstitis.

Cvr sub floriferi discedis tempore secli,¹
Ac, MI FILI, dic cur cito demoreris?

¹ secli pro saeculi U metri causa

*Nunc, dum cuncta virent et dum nova temporis aetas
 Ingruit, ac lucent floribus arva novis;
 5 Dum quoque formatis operitur frondibus arbos,
 Et nova de gravido palmite gemma tumet?
 Cur linquis terras dum formosissimus Annus
 Est praesens, cur nunc, dic, cito demoreris?*
*D. Talia cur quaeris? jam cur mirare recessum
 10 E terris subitum, praeproperumque meum?
 In terris mihi nulla quies; ast irrequieto
 Jactabar valde terribilique mari:
 Hic sed ago vere vernantia tempora Vitae,
 Atque meum cingunt florida sarta caput.*
*15 Hic, hic, cuncta virent; hic, hic, nova temporis aetas:
 Hic, hic, lucescunt tempora laeta poli.*
*R.P. Quaeso, refer, qualis status hic sit, vitaque quaenam,
 Quam pulchram comples in statione poli?*
D. Est aetas felix, seclum tempusque beatum:
20 Est, quam nunc vivo, prospera vita poli.
*R.P. O ergo sanctos! O terque quaterque beatos,
 Qui sic decurrunt tempora fine suo,
 Vt tandem liceat penetrare palatia coeli,
 Ac in sydereis gaudia habere plagis.*

Verae συμπαθείας καὶ χαραμνθίας
 ergo scripsit
 Laurentius Jonae **Blybergh** /
 Ner. Svecus.

8. Adr: Zacharias Johannis Colliander – Aut: Zacharias Klingius (Disputatio I ordinaria de Scriptura sacra explicata ex posteriori epist. ad Timoth. cap. 3. v. 16, 17. Quam /.../ praeside /.../ Gabriele Elvering, /.../ in Academia Gustaviana publicae disquisitioni subjicit Zacharias Joh. Colliander, /.../ ad d. <> Septembris, /.../. Dorpati Livonorum, 1653: J. Vogelius)

SKB, UUB, Växjö LB, H, [Tartu UB]
 GRATULATIO

*Ad Dn. Respondentem:
 Praestantissime Dn. Zacharia Colliander,
 Amice dilecte,*

*In ea, proh dolor, incidimus tempora, qui-
 bus Vera Religio infinitis fere periculis ex-
 posita et totidem temptationibus obnoxia est,
 ut, nisi Deus noster misericors, pios, graves, con-
 5 stantes, potentesque Viros excitaret, qui hostibus
 Veritatis resisterent, cum ipsa Evangelij Luce a-
 ctum esse videatur; Praesertim cum haud pauci
 vix nobis lateant, qui sacratissima Salvificae Fidei
 fundamenta impugnatum ire non erubescunt, ut
 10 vix liceat, in impio hoc ausu, Pontificiis esse solis!
 Rem proinde utilissimam praestas Dn. Colliander;
 quod perfectionem Scripturae Sacrae sufficien-
 tissimam omnibus iis luculenter edocendis, quae*

15 *Salutem nostram aeternam concernunt, ab im-
piis Adversariorum corruptelis vindicare, per Di-
vinam gratiam, sub Eximij Theologi Praesidio
constitueris. Inpio, laudabili et maxime necessa-
rio hoc instituto perge! Nec prius desiste, quam
venerandorum Parentum, omniumque tuorum vo-
to et expectationi satisficeris! Si quibus in rebus
tibi commodare, tuisque Sacris conatibus consulere
potuero, me semper promptum atque paratum habe-
bis, vale! Dorpati, IV. Idus Septembr. Anno
MDC. LIII.*

T^{ae} Praest. ^{ae}
addictissimus
Zacharias Klingius, D.
per Livoniam Superintendens et
Regiae Acad. Dorpat. Vice-Cancellarius.

9. Adr: Zacharias Johannis Colliander – Aut: Petrus Liungh (cf. 8)

SKB, UUB, Växjö LB, H, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Cvi svavis floret, Juvenilis temporis aetas.
Vtatur; pede nam festino labitur illa.
Hoc facis egregie, Zacharia, et te Studiosum.
Ingenuum et docilem praebebas utriusque Sophiae.
5 Macte, et eris patriae non ultima gloria nostrae.*

Quod Affini et amico suo dilectiss.
app.
Petrus **Liungh** /
Smol.

10. Adr: Brynolphus Arvidi Govinius – Aut: Olaus Dalinus (In salutiferam nativitatem Domini et
Salvatoris nostri Jesu Christi, oratio: quam, /.../ in /.../ Regia Gustaviana Adolphina Academia, quae
Dorpati /.../ est /.../ die 18. Decembris, anno 1652. publice /.../ enarrabat Brynolphus Arvidi Govinius,
/.../. Dorpati, 1653: J. Vogel)

Karlstad StB, EAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Festa dies rediit, totum celebranda per orbem;
Qua Deus, assumpto corpore, natus Homo est;
Ut non eriperet, medio de turbine lethi,
Quos merito obrueret, nigra paludis aqua;
5 Robore sicque suo, nos dignos morte perenni,
Servavit; vastans morte Draconis opus.
Nascitur Omnipotens Christus sub paupere forma,
Ut nos aeternas possideamus opes.
Exulat; et tristis transcurrit ad arva Canopi,
In coelo ut nobis mansio tuta siet.
Unde pium carmen, mortales, psallite Jovae,
Qui regit imperio cuncta creatura suo.
Et pio ad Exemplum Docte Dicentis amore,
Trinuni grates solvite rite DEO.
10 Ullus nec vestrum, desistet dicere laudes
Jovae, mundano carcere clausus homo,
Donec in aethereis regnis cantabimus ipsi
Nobile Trisagion, pectore, voce, manu.*

Anno,

*VersVs hos tenVI PatrIotae fInXIIt aVena:
20 TeXVIIt hos InIbI Crena, seD Mente serena.*²

Olaus Dalinus,
W-Gothia Svecus.

11. Adr: Brynolphus Arvidi Govinius – Aut: Erlandus Erlandi Hiärne (cf. 10)

Karlstad StB, EAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

BRYNOLPHUS natalitij sacra mystica Christi
Laudibus extollit; Noster alumnus erit.
E studiis famam, captat quoque nominis auram;
Hinc honor hicce labor sit, precor ex animo.

Praest. Dn. Peroranti scrib.
Erlandus Erl. **Hiärne** /
Ingria Svecus.

12. Adr: Erlandus Erlandi Hiärne – Aut: Henricus Hein (Disputationum logicarum secunda, primae logicae partis evolutionem, terminos simplices et instrumenta logica, primae ment. operationi inservientia generatim expendendo inchoans; quam in Regia Academia Gustaviana quae Dorpati /.../ est ad 29. Junij /.../ ventilationi committunt /.../ Petrus Lidenius, /.../ et Erlandus Erlandi Hiärne, /.../. Dorpati Livonorum, 1653: J. Vogelius)

UUB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Doctissimo Dn. Respondenti.

*Sic bene Doctores Logices retulere sagaci
Mente, ut judicium fiat, quid reddit acumen,
Atque oculis hominum nebulas abstergeat atras.
ERLANDE, Aonias cupiens te efferre per orbes,
5 Pergas, fila trahas, pia quae Dialectica praebet:
Estque viam tibi demonstrans ad Apollinis arcem.*

Honoris et amoris ergo adposuit
Henricus **Hein** / U.J.D.
Professor Ord. et Dicasterij
Regij Adsessor.

13. Adr: Erlandus Erlandi Hiärne – Aut: Petrus Lidenius (cf. 12)

UUB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Ambigua ut quondam et sinuosa per Atria Cretae,
Filo porrecto dux Ariadna fuit:
Sic λογικὴ ingenuas Dux est sat certa per Artes,
Devius in fallax ne rapiaris iter.
5 Ergo hanc dum studio colis assiduoque labore,
Docte ERLANDE, operaे nae facis hic precium!
Perge proin posthac, ut hactenus, et mihi crede,
Quod studia haec tandem præmia digna ferent.*

Ita Doctissimo Dn. Respondenti Auditori
meo assiduo et perindustrio L. mque
gratulor
Praeses.

² Chronostichon annum 1653 exhibens

14. Adr: Johannes Holstenius – Aut: Zacharias Klingius (Ultimo honori /.../ Johannis Holstenii, /.../ Erici Holstenii, in Regia Gustaviana Adolphina Universitate, quae Dorpati /.../ est /.../ Hebraeae et Graecae linguae professoris /.../, et pro t. /.../ Facultatis Philosophicae decani /.../ e /.../ Dorothea von Wickeden /.../ inter 26. et 27. diem Febr. anno 1653. nati filioli: et /.../ inter diem 13. et 14. Maji, /.../ denati; ac 19. die mensis Maji, Dorpati in sepulchrum majorum, quod est in aede D. Johanni quondam sacra, /.../ illati: consecratum ab amicis et condolentibus. Dorpati Livonorum, <1653>; J. Vogel)

H, [Tartu UB]
EPICEDIUM

EPITAPHIUM.

*O TE FELICEM DENATE RENATE JOHANNES:
Nunquam LVCTATVS, nec vix TENTATVS es Unquam,
Ecce CORONATVS, dum NATVS, es atque BEATVS!*

In Memoriam Triumphantis Filioli,
inque Solarium tristium Parentum
scribebat
Zacharias Klingius, D.
per Livon. Superint. et Reg. Acad.
Dorpat. Vice-Cancellarius.

15. Adr: Johannes Holstenius – Aut: Laurentius Ludenius (cf. 14)

H, [Tartu UB]
EPICEDIUM

Sub Persona pie Defuncti Infantis.

Infantem ad se Me primis invitat ab annis,
Et Me voce sua CHRISTUS adesse jubet.
Ut natus, liquido Baptismatis amne renatus;
Et maculas puris fons tulit aequus aquis.

JOANNES ERICI HOLSTENIVS.

Per Anagr.
LENIS EO IN CHRISTO: VENIAS!

5 Hinc ego *LENIS EO IN CHRISTO* ad nova gaudia Coeli;
 Dum morior *CHRISTO*, vivo Deoque meo.
 Quae mihi corporeae pia Mors destructio Vitae,
 Est ea coelestis Janua pulcra Poli.
 Et mox tempus erit, *Pater o venerande Magister*,

10 Ut *VENIAS* ad me laetus in axe Poli.
 Et mox tempus erit, mea Dilectissima Mater,
 Ut *VENIAS* ad me et coelica dona feras.

Quod inter lacrymas colendissimo suo Dn. Collegae,
 Parenti scribebat
 Laurentius Ludenius, Ph. et U.J.D.
 Prof. Ord. et Reg. Acad. Bibliothec.

16. Adr: Johannes Holstenius – Aut: Gabriel Elvering (cf. 14)

H, [Tartu UB]
EPICEDIUM

*Clare Vir, HOLSTENI, lapidem lignumque referre
Haud poteris; siquidem flere jubet pietas.
Felix qui decreta rati fert omnia fati,
Filiolus moritur, nec sine mente Dei.*

5 *Filiolum dederat tibi, jure reposcit et aufert,
Sic dedit ac aufert convenienter idem.
Quem DEus a mundi praeservat face maligna,
Ille Deo gratus, nascitur et moritur.*

Clarissimo Dn. Collegae Lubens
scrib.

M. Gabriel Elvering,
S. Th. Prof.

17. Adr: Johannes Holstenius – Aut: Gudmundus Lidenius (cf. 14)

H, [Tartu UB]
EPICEDIUM

HOLSTENII Soboles; tener hic flos nonne JOHANNES
ah nimium mortis jam cito falce perit?
Non perit; ast saltem sic transplantatur in hortum
Coelestem, ut fiat flos Paradisiacus!

Quod ultimi officij et honoris contestandi
causa app.

M. Gudmundus Lidenius,
Ampliss. Facult. Phil. Ad-
junctus.

18. Adr: Johannes Holstenius – Aut: Andreas Hellenius (cf. 14)

H, [Tartu UB]
EPICEDIUM

*Filiolus Blandus moritur puerilibus annis
HOLSTENIUS JANNES, qui plantula pulchra Parentum,
Exemptus terris nunc candida templa subintrat
Coelorum; gaudetque polo sine fine beatus:
Sic lachrymae cessent misso de pectore fletu.*

Haec debitae condolentiae ergo
apposuit
Andreas Hellenius.

19. Adr: Johannes Holstenius – Aut: Ericus J. Munthelius (cf. 14)

H, [Tartu UB]
EPICEDIUM

Sub persona Defuncti.

Protinus ut crescit, dulcem et bene fundit odorem
Flos Vernus; vento mox agitante cadit.
Orsus ego vitam sic nuper: at aufugit aetas
Umbræ instar: palmo curtior haecce fuit.
Ast quoniam Domino placuit, mens nescia fati,
Sustulit ecce illam, gaudia vera dedit.
Vos igitur blandi sobolem haud lugete Parentes:
Me Dominus dedit, hinc me Dominusque tulit.

Job. 14.

v.2.

Psalm. 39.

v.7.

Sap. 4.

v. 14.

Job. 1.

v.21.

Haec pauca deproperabat
Ericus J. Munthelius,
Westman.

20. Adr: Johannes Holstenius – Aut: Johannes Johannis Sundius (cf. 14)

H, [Tartu UB]
EPICEDIUM

*Sic HOLSTENIADES, patris matrisque voluptas,
Heu cecidit! fato praecipi periit!*

*Hinc dolor! Hinc lacrymae genitoris ut et genitricis!
Hinc, jubet ut pietas, ex animo doleo!*

Johan. Johannis Sundius.

21. Adr: Johannes Holstenius – Aut: Olaus Dalinus (cf. 14)

H, [Tartu UB]

EPICEDIUM

JOHANNES ERICI HOLSTENIUS:
Per Anagr.
AH JESU NONNE HIC ERIT SOLIS?

Ah Lachesis! Lachesis! rumpis quae stamina vitae,
In cunis pieros falce rapace necans:
Nec personarum faciens discrimina! verum
Abripis infantes, non secus ac tremulos!
5 Exemplum nobis erit en HOLSTENIUS HICce,
Quem Lachesis propera morte repente rapit.
Nam! moritur pendens et ludens ubera circum
Matris, lactis egens, et sine voce Puer:
Cum *Genitrice Pater* tamen hinc propelle dolorem,
10 Ne nimium turbet pectoris anxietas!
NONNE DEO placuit, rerum cui summa potestas,
Sanctis qui SOLIS nunc sociandus ERIT?
Gaudet et in Christo jam consociatus JĒSU,
Clara micans ceu lux non caritura modo.

Distichon, Annum pie defuncti exprimens.

15 IVnIor HoLstenIVs pLaCIDe reqVIesCo sVb Vrna,
HInC faVste tenVI LVCIDA Regna, VaLe.³

Condolenti animo et calamo
scripsit
Olaus Dalinus,
W-Gothia Svecus.

22. Adr: Johannes Holstenius – Aut: Josias Josephi Fougdonius (cf. 14)

H, [Tartu UB]
EPICEDIUM

*Dic, quis in hoc hominum nunc aethere traxerit auras
Tramite mortali: in mortis memor usque manebit.
Est documentum obitus per pulchri rite Puelli:
Cujus ad exemplum, non certa hinc crastina lux est.*

Haec lugens apposuit
Josias Josephi Fougdonius.

23. Adr: Johannes Holstenius – Aut: Nicolaus Garfluvius (cf. 14)

H, [Tartu UB]
EPICEDIUM

Mors sua sceptrta tenet, vasti per climata Mundi;
Omnibus est lethi, certa terenda via:
O nimium fausti, quibus est melioribus annis
Concessum, rutili tecta subire poli;
5 Hinc igitur lacrymas tepidas inhibite Parentes,

³ Distichon annum 1653 exhibens

Parvulus HOLSTENIUS degit in arce Poli.

Haec condolentiae ergo apposuit
Nicolaus Garfluvius,
Westmann.

24. Adr: Johannes Holstenius – Aut: Samuel J. Förnbeck (cf. 14)

H, [Tartu UB]
EPICEDIUM

*Nvnc iterum nostras pulsabat pallida sedes
Mors; dira, haud positum negligit officium!
Nos multae in mundum lachrymae per fata sequentur;
In lachrymis finis noster habendus erit.
5 Deproperandum; atque ad sedem coeli cito eundum;
Cum Domino placuit, complacuitque mihi.*

In signum extremi honoris, et argumentum
serij doloris scribebat
Samuel J. Förnbeck /
Westm. Svecus.

25. Adr: Johannes Holstenius – Aut: Benedictus Nicolai Ekaeus (cf. 14)

H, [Tartu UB]
EPICEDIUM

*Colloquium,
Perquam moestae Matris, et in Christo pie
defuncti Filioli.*

- M. Gressum cur acuis, mea prima parentis imago,
Tam subito cupiens visere coelicolos ?
Te ne senectae albae solum solamen haber
Vis? desiderio rite tui subigor.
5 Ah, mi Filiole, o si sorte tua potuisse,
Sancta morte mea reddere te validum!
F. Luctibus indulges, mea cur dulcissima Mater;
Tristitiae maculas exue nunc animis!
Pallida me rapuit mors in puerilibus Annis:
10 Sic placuit Domino, sic placuitque mihi.
Jam feror ad patriam mihi Christi vulnere partam.
Adsto choro jam nunc Angelico in numero.
Angelicoque Deo in plausu do munera laudum.
Terrarum in tumulo mortua membra jacent;
15 Hisce Vale longum in tempus, charissima Mater;
Cum Christo in coelis consociatus eo.
Moestissimis Dn. Parentibus haec in jam jam oborti
moeroris levamen deproperabat
Benedictus Nicolai Ekaeus.

26. Adr: Johannes Holstenius – Aut: Nicolaus Sylvius (cf. 14)

H, [Tartu UB]
EPICEDIUM

Mortuus loquitur.

*Nescio quid Genitor suspiria tristia dicit?
Et pergit miris indoluisse modis?
Nescio quid tristis Matris tremor occupat artus,
Et fluit in gelidos langyida dextra sinus.*

Pater et Mater.

- 5 *Talia quid quaeris? reor et nos posse dolere,
Et nos luctiferum vulnus habere scias.*

Defunctus respondet.

- Est ita; sed juvat hic, quaero, quid plangor et angor?
Sic vult, sic placuit, Tergeminio ecce Deo.
Nos quoque debemus, quod inevitabile: Letho
10 Serius an citius venerit; hora venit.*

Auctor.

*Hunc Paradisiacos Christus deduxit in hortos,
Angelicosque inter gaudia summa Choros:
Gaudia quae nemo audivit, quae lumine nemo
Vidit; quae nemo fingere mente potest.*

Nicolaus Sylvius,
W-G. Svecus.

27. Adr: Johannes Holstenius – Aut: Nicolaus Utter (cf. 14)

H, [Tartu UB]
EPICEDIUM

EPITAPHIUM.

- Hic Ego; qui dulcis vixi velut herbula nascens,
Oblectans placida dexteritate Lares:
Extinctus jaceo, tollens ad sydera Vultum:
Atque diem summum respicio ipse meum.
5 Tunc terra surgam, coelique intravero portam;
Atque meo Christo consociatus ero.

Pij doloris contestandi gratia
apposui
Nicolaus **Vtter** /
Sudermannus.

28. Adr: Johannes Holstenius – Aut: Benjamin Krook (cf. 14)

H, [Tartu UB]
EPICEDIUM

*Aufert Holstenium dum lamentabile fatum hoc,
Impletur gravibus cor mihi lacrymulis.*

I. l. scribebat
Benjamin **Krook**.

29. Adr: Johannes Holstenius – Aut: Erlandus Hiärne (cf. 14)

H, [Tartu UB]
EPICEDIUM

SANDAPILA.

- Fallax et breve nunc bonum
Mortalis vita est, quae quasi fumus abit.
Sic etiam moritur morte peremptus homo,
Hic primus et ultimus ordo
5 Cunctis erit; atra etenim est Mors;*

10 *D O M I N V S sed regit omnes
Non ficta Christum semper pietate colentes;
Quique Deum vero cordis honore colunt,
In Nemore Elysio, queis ubi gaudia erunt,
Qualia non vidit, non ullus et audiit unquam.*

*Alme Jehova
Omnibus adsis,*

*Morte repressis
Vitima in hora!*

Quam exstruxit
Erlandus **Hiärne**.

30. Adr: Johannes Bartholdi – Aut: Laurentius Ludenius (Propemptica, migranti in coelestem patriam /.../ Johanni Bartholdi Wiburgo Carelio, SS. Theol. et humaniorum disciplinarum in Academia Gustaviana Livonorum studioso /.../, qui anno 1653. die 26. Maji mundo /.../ valedixit, quod sui terreum fuit terrae matri insinuandum relinquens, id quod /.../ factum est 27. Octob. nominati anni currentis, a fautoribus et amicis supremi officij deferendi gratia fusa. Dorpati Livonorum, <1653>: J. Vogel)

UUB, [Tartu UB]
EPICEDIUM

5 *Dotibus ingenij nitidissimus ille JOHANNES
BARTHOLDI, hic posuit corporis exuvias!
Ipsa gemit Virtus Musis comitata, sibique
Cultorem talem non superesse dolet.
Fida tamen Tumuli Custos praeconia: Coelum
Incolit aeterno mens fruitura bono.*

Inter Lachrymas sc.
Laurentius Ludenius, Ph. et U.J.D.
Profess. Ordin.

31. Adr: Johannes Bartholdi – Aut: Olaus Wexionius (cf. 30)

UUB, [Tartu UB]
EPICEDIUM

5 *Ingenium praestans JANNIS dum nostra Palaestra
Dorptica rite polit, mox abit in patriam
Caelestem, discit probe ubi quae nulla vetustas
In terris poterit nos docuisse sagax.
Hinc JANNES cunctis prae nobis doctus habetur
Qui didicit quae nos, post didicisse juvat.*

Ultimi officij erga pie defunctus declarandi
ergo scribebat
M. Olaus Wexionius,
Polit. et Hist. Prof.

32. Adr: Johannes Bartholdi – Aut: Andreas Fridzbergius (cf. 30)

UUB, [Tartu UB]
EPICEDIUM

*Nvllus in hoc mundo curis vitaeque periclis⁴
Liber, quod jam jam satis hic nunc cernimus omnes:*

⁴ *periclis* pro *periculis* U metri causa

Quid juvat hunc igitur summis plorare querelis,
 Quem Deus Almipotens per longa haec praelia mortis
 Abduxit placide! Et quis mutet Stamina mortae?
 Sic tu jam curis Liber vitaeque periclis,⁵
 Pace poli frueris. JANO sunt Gaudia Coeli.

Ultimo honori app.
 Andreas Fridzbergius,
 Secret. Acad.

33. Adr: Johannes Bartholdi – Aut: Samuel J. Förmbech (cf. 30)

UUB, [Tartu UB]
 EPICEDIUM

Egregiis animi virtutibus ille JOHANNES
 Vixit BARTHOOLDI et Corporis egregius.
 Hinc post quam Domino, placuit discessit, et ipsam
 Christo animam precibus credidit ille Deo.
 5 Hinc jam tum corpus tumulo concreditur; ipsi
 Mens Christo vivit consociata Deo.
 Tempus erit, quando demortua membra resurgent,
 Surgemus nostris corporibusque cito.

Ultimo honori scrib.
 Samuel J. **Förnbech** /
 Westm. Svecus.

34. Adr: Johannes Bartholdi – Aut: Olaus Dalinus (cf. 30)

UUB, [Tartu UB]
 EPICEDIUM

Prosopopeia Pie Defuncti.

Dicite vitales homines qui carpitis auras,
 Longos queis geminant, sospita fata dies,
 Vos, sed adhuc Pylios traducere molliter annos,
 Perpetuae et vitae percupitis seriem?
 5 Dicite vos num sint, lethi qui tempora vitent
 Et fugiant rapidae spicula dira necis?
 Ast, mihi crede, manet foedus priscum; morieris!
 Vincula nam mortis tollere nemo valet.
 Vero verius hinc est hoc quod fama susurrat,
 10 Rumor est auditis clarat ubique tubis.
Est commune mori, nulli mors parcit honori:
Dissimiles simili conditione rapit.
 Nunc soror anticipat fratrem, nunc ipsi sororem,
 Aegrum sanus, herum verna, virago virum.
 15 Vanum igitur remanet fallaci sidere mundo,
 Viscosasque ejus quaerere semper opes.
Vel die quid speres, mundo qui semper adhaeres?
Nam simul omne perit, quod fuit, est, et erit.
 Vanum est Eois vitam producere in oris,
 20 Hic subito incautas concutit imbre rates;
 Vanum est Arctois procul hinc habitare sub alis
 Jure ubi perpetuo frigida bruma ferit;

⁵ *periclis* pro *periculis* U metri causa

Vanum est raucisonum concendere pupibus aequor,
Puppis percutitur, fracta carina natat.

- 25 Tutius haud unquam est, vario confidere Marti,
 Nam solet innumeros ense necare viros.
 Mors inopina, omnes passim grassatur in oras
 Haec ictu proprius, longius atque ferit
 Jam mea velluntur celeri cito corpora morbo
30 Febris et exsiccat langvida membra, Vale.

Xρονόστιχον.

Dorptae nVnC reCVbant VernantI CoLLe IohannIs
BarthoLDI eXeqVIae,⁶ qVIA CoeLo VIVIt aperto.

Condol. causa ads.
Olaus Dalinus,
W-Gothia Svec.

35. Adr: Johannes Bartholdi – Aut: Petrus L. Arbogensis (cf. 30)

UUB, [Tartu UB]
EPICEDIUM

*En fragilis vita haec! hominum quae vita vocatur:
Omnes quot tellus hoc mundo continet ampla,
Stulti, si cupimus vitam hic, quia nil stabile estque!
Sic Johannes Bartholli requiesce sub urna,
5 Non illam invideo dulcem tibi prosperitatem:
 Sit inter sanctos certissimus incola coeli.*

Calamo condolenti haecce apposuit
Petrus L. Arbogensis,
Westmann.

36. Adr: Johannes Bartholdi – Aut: Nicolaus Garfluvius (cf. 30)

UUB, [Tartu UB]
EPICEDIUM

Maestiss. Parens ad Filium defunctum.

Mi Fili! Heu quondam vita dignissime Fili.
Hanc aurem, hunc solem deseris ante diem!

Vix mundum ingressus, retro fugis! an ne dedisse
te, superis credam poenituisse Deos!

- 5 Unica naturae blandae arridentis imago
 Concidis heu longum vivere dignus eras.
 Quid juvat, humanis etiam nunc fidere rebus;
 Si spes tam miseros fallere fracta potest?
 Verum ut jam ante Deo tu faedera sacra dedisti,
10 Sic moriens animam credis et ipse Deo.
 Dorpati corpus moritur tumulatur ibique
 at mens aetherei fertur ad astra poli.

Condolentiae Ergo app.
Nicolaus Garfluvius.

37. Adr: Johannes Bartholdi – Aut: Andreas G. Kyander (cf. 30)

UUB, [Tartu UB]
EPICEDIUM

⁶ *exeqVIae* U : corr *eXeqVIae*, ut chronodistichon annum mortis 1653 exhiberet.

*Est certe felix, placido quem funere Numen
 Evocat, et sedes svadet adire poli.
 Hunc nullae turbant lites: Hunc nulla malorum
 Dissidia: aut studiis gens inimica bonis.
 5 Evitatque mali venturo fata sub aevo,
 Invidias nocent nec mala tela male.*

Haecce paucula mens et manus con-
 dolens apposuit
 Andreae G. Kyandri,
 B. Linna Savonij.

38. Adr: Johannes Bartholdi – Aut: Laurentius Blybergh (cf. 30)

UUB, [Tartu UB]
 EPICEDIUM

Dialogus mortis et Beate defuncti.

- M. Tu quoque, JOHANNES, qui jam nos ante solebas
 Spernere, fatali vulnere strate jaces:
 D. Non jaceo, nec adhuc, non te mors improba sperno
 In quem nec dum aliquid juris habere potes.
 5 M. Nempe jaces nostri confossus arundine teli.
 Hoc in te certe jus habuisse fuit.
 D. Non jaceo nec tela tuae mala sentio dextrae
 Et nec adhuc pars est prima sepulta mei.
 M. Nempe jaces clauditque tuum brevis urna cadaver
 10 an qui sic jaceat non ceceditse putas?
 D. Stultitia haec equidem mortalibus omnibus una est,
 ut quod tu capias hoc periisse putent,
 Illi igitur nostro funebria justa sepulchro
 Solvant, et lachrymis, mortua membra rigent.
 15 Me mea pulcra Fides securum fecit, habetque
 Nam mea nunc alio vita futura loco est.

Ultimi honoris et debitae condolentiae contestandae
 E. scripsit
 Laurentius **Blybergh** /
 Nericia Svecus.

39. Adr: Johannes Bartholdi – Aut: Nicolaus A. Sylvius (cf. 30)

UUB, [Tartu UB]
 EPICEDIUM

- Multa sibi proponit homo; Deus ipse reponit
 Quae bene, quae certo in laudem eventura feruntur:
 Est ne ita? Nam JANVS BARTOLDI hoc dicere possit.
 Nam vix Annus abest, quo illum Dorpatica Terra
 5 Excepit, Studiis ut sic incumberet almis;
 Verum quam subito mentem et pia vota reflexit
 JOVA potens; subito et patriis hunc fixit in oris.
 Gaude igitur, Gaude, quod sic pia fata fuere.
 Gaudia jam capies sine fine, haec gaudia coeli.*

Haec in honorem pij defuncti faciebat
 Nicolaus A. Sylvius,
 W-Goth. Svecus.

40. Adr: Johannes Bartholdi – Aut: Benjamin Krook (cf. 39)

UUB, [Tartu UB]

EPICEDIUM

Multos lativagus mortales continet orbis,
 Queis fragilis vita est pergrata acceptaque longum;
 Pallida sed quando jam Mors venit horrida, pulsans
 Calce casas inopum, pariterque palatia Regum;
 5 Tunc turbatur homo! mens fert discrimina multa
 Solamen renuit; nec habet fomenta doloris,
 Non ita; sed Christum, terrae coelique Monarcham
 Ulnis expansis tu totum amplectere Jesum,
 10 Caetibus Angelicis sic junctus gaudia habebis.

C. C. C. C.
 Benjamin **Krook** /
 Nötheborgensis.

41. Adr: Johannes Bartholdi – Aut: Erlandus Hiärne (cf. 30)

UUB, [Tartu UB]
 EPICEDIUM

Quam cito tempus abit vitae! cito labitur aetas
 Humana! in multis experimenta probant
 Siccine defunctus Carelius hicce JOHANNES
 Tempore florenti clausit in orbe diem.
 5 Falce quidem mortis subitae cecidit, sed ad astra
 Mens pia tendebat, consociata Deo est.
 Ergo beata anima o aeternum jubila prome,
 Quando placet Domino, nosque sequemur, AMEN.

Querebundus fudit
 Erlandus **Hiärne** /
 Ingría Svecus.

42. Adr: Johannes Bartholdi – Aut: Henricus Cl. Platzman (cf. 30)

UUB, [Tartu UB]
 EPICEDIUM

Cui bona vita comes non est mala mors statuenda,
 Vitae namque suae qui caste expleverit annos,
 Huic restat posthac gloriosa simillima somno
 Meta, peractae et praedulcis conclusio vitae,
 5 Haec bene perpendens inopina morte peremptus
 Quem dederat cursum perscrutans intima cordis
 Vivendo absolvit placideque pieque beatus!
 Mutavit vitam instabilem cum morte beata,
 Quamque animam Christus dedit hanc et reddit eidem.

Condolentiae ergo apposuit
 Henricus Cl. **Platzman** /
 Narva Svecus.

43. Adr: Johannes Bartholdi – Aut: Christiernus Kuuth (cf. 30)

UUB, [Tartu UB]
 EPICEDIUM

Dignus qui longos optate vivere menses
 Sympatriota; cadis, sed cadis ecce bene!
 Sic etenim fatum sequeris Dominumque vocantem
 Passibus atque ratis ibis ad astra poli.

Condolentiae ergo scribebat
 Christianus **Kuuth**.

44. Adr: Andreas Erici Lilonius – Aut: Sebastianus Wirdig (Disputationum physicarum decima septima de terra; quam [...] in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati [...] est [...] sub praesidio [...] Johannis Stiernstråhl, [...] publico [...] examini submittit Andreas Erici Lilonius, [...] ad diem <30> Mart. anni 1653. [...] Dorpati Livonorum, 1653: J. Vogelius) H (def), [Tartu UB (def)]
GRATULATIO

*Musarum atque Virtutum Strenuo Sectatori,
Praestantissimo atque Doctissimo Juveni,*

DN. ANDREAE E. LILONIO, Uplando,
SS. Th. et Ph. Studioso indefesso, Thesum harum
authori dexterimo.

*Sic, bene qui Physicae Medicinam jungis, Amice
ANDREA, Medicus nomine Clarus eris.
Posthac hisce Tuis studiis conjungito Praxin,
Materiam medicam mixta Elementa dabunt.*

Sebastianus **Wirdig** / Med. D.
et Profess. P.

45. Adr: Andreas Erici Lilonius – Aut: Andreas Nicolai Ferelius (cf. 44) H (def), [Tartu UB (def)]
GRATULATIO

ANDREA, Sophiae, Eusebiae, Medicisque sacrate
Artibus; et nostri portio pulchra chori:
Fonte caballino quia non mea labra rigavi,
Deficit hic carmen, quo tibi culta canam.

5 Musas tu, magna juvenum, praesente caterva
Doctorumque virum, concelebrare soles.
Invigilas studiis, Sophiae tum Theologisque;
Excolis ac artem Paeonio usque sacram.

Te Sophiae Studio vidi sub nocte silenti
Pieridumque Sacris invigilare choris.

”Ασκεσις haecce tuum satis ingenium indicat ipsa,
Dum solvis nexas dexteritate strophas.

Gratulor, atque tibi DEus Omnipotens precor, adsit,
Ex altoque beet, commoda Jova tua.

15 Sic juvet, ut doctus redeas ad tecta paterna,
Et fias genti splendida stella tuae.

LILONI, apprecor hinc; pergas <...>ere Musis;
Atque tuum pergent cingere fronde caput.

LILONI, ANDREAS NICLAI ego FERELIVS ti
20 West-Gothus precor haec, hisce vige atque vale.

46. Adr: Andreas Erici Lilonius – Aut: Ericus Benedicti (cf. 44) H (def), [Tartu UB (def)]
GRATULATIO

*Docte Novenarum cultor Studiose Sororum
LILONI, laudes quas tibi nuncce feram;
Nil aliud dico; celsam conscende cathedram
Ostende ingenium, judiciumque tuum.
5 Quidque siet Tellus docto conamine monstra,
Sic gratum dederit re hospitiumque tibi.*

*Nobilis et Clarus Praeses Sternstralius actum
 Discursus reget, hinc Dexteritate sua.
 Hinc tibi condigne de nisu grator honesto,
 10 Et studium laudo, Sympatriota, tuum.
 Pergito, sic nutu Phoebi certo incluta Pallas
 Pro meritis dederit digna βραβεῖα tibi.*

Hisce paucissimis Dn. Respondenti, Amico
 et Conterraneo suo svavissimo
 ita gratulatur,
 ERICUS BENEDICTI **Lund** /
 Uplandia Svecus.

47. Adr: Andreas Erici Lilonius – Aut: Laurentius Hultenius (cf. 44)

H (def), [Tartu UB (def)]
 GRATULATIO

*Bis nunc ante annos celebrasti Uplandica rura
 Laudibus, ANDREA Frater amande, piis.
 Jamque theses magna componis dexteritate
 De TERRA, in mediis quae sita pendet aquis.
 5 Coeptum igitur vigili studio complere beate
 Tendas, sic tandem gloria dia manet.*

Τῆς φιλαδελφίας ergo animitus
 gratulatur
 LAURENTIUS HULTHENIUS,
 W-Gothia-Svecus.

48. Adr: Karl Mörner – Aut: Zacharias Klingius (Elogia /.../ Christinae, /.../ dominae et reginae /.../ a Carolo Mörnero, L. Barone, etc. domino in Thuna, Nääß et Mörnerholm, etc. /.../ hujus judicij aulici praeside /.../ quae, /.../ in Regia Gustaviana Adolphina Academia, quae Dorpati /.../ est /.../ die <24> Febr. anno 1653. /.../ per filium suum natu majorem Dn. Leonhardum, declamari jussit. Dorpati, <1653>; J. Vogel)

SKB, UUB, Greifswald UB, H, [Tartu UB]
 ENCOMION

*Illustris et Generosissime Baro,
 Domine benignissime,*

*Exprimere non possum, quanto animum
 meum gaudio explevit elegantissima si-
 mul et gravissima Oratio Tua, qua,
 in Regia Academia Dorpatensi pro-
 clamata, publicum a Sacra Regia Majestate, Do-
 mina nostra Clementissima, gratiosissime tibi de-
 mandatum Munus nuper auspicari voluisti. Inter
 alia autem quam plurima, summae mihi voluptati
 fuerunt, quae de beatiss. memor. GUSTAVO Pri-
 5 mo egregie disseruisti; quemadmodum Pientissi-
 mus Ille Rex pristini temporis squalorem in loetam
 rerum faciem convertendo et RELIGIONEM
 et REGIONEM felicissime restauravit: Ut et
 quemadmodum Gloriosissimus Ejus Neps GU-
 10 STAVUS Magnus UTRAMque tam exornavit
 quam ampliavit: Nec non (id quod maxima me lae-
 titia affecit) quemadmodum Sacra Regia Majestas,*

Regina nostra Clementissima, GUSTAVI Magni Regnorum et Felicitatis Haeres, Serenissimi
 20 Parentis, omniumque Majorum Virtutes Regias omnes Una *pulcherrime est complexa; ut quae Potentissima VICTRIX, Gloriosissima TRIUMPHATRIX, Augustissima Pacis FUNDATRIX, Ecclesiae CHRISTI, Verae Religionis, Liberalium*
 25 Artium, Omnimque Subditorum *Felicissima AUCTRIX et CONSERVATRIX haud immemrito salutatur. Haec, inquam, mirandum in modum me delectaverunt! Nec praeterire possum, quam tam Orationi gratiam provectione aetas tua conciliare mihi visa fuit, Filioque cum primis Tuo Virtutum Paternarum stimulos penitus infigere: Ut nihil nunc dicam de svavissimis Juventutis tuae*
 30 *DELICIIS, quas tersissima ista Oratione Tibi ipse, inter curas gravissimas, laetanti animo in memoriam revocasti et ob oculus posuisti. Tibi proinde, Illustris et Generosissime Baro ex animo gratulor, DEUMque supplex precor, ut commissum Tibi JUSTITIAE Officium feliciter suscias, Susceptum felicius continues, et Continuatum felicissime perficias. Vale, mihi que fave! Dorpati,*
 35 *III. Kalend. Martij, An. MDC. LIII.*

Illustr.^{ti} T.^æ

Honore et Officiis obligatissimus
 ZACHARIAS KLINGIUS, D.
 per Livoniam Superintendens,
 et Acad. Dorp. Vice-Cancellarius.

49. Adr: Karl Mörner – Aut: Laurentius Ludenius (cf. 48) SKB, UUB, Greifswald UB, H, [Tartu UB]
 ENCOMION

*Perillustri et Generosissimo Heroi
 ac Domino,*
DN. CAROLO MÖRNER /
 L. Baroni, etc. Domino in **Thuna / Nääß / Mörrholz / Lembolaborg** / etc. Regij Dicasterij Dorpatensis
 Praesidi Dignissimo.

5 *Patris, Avi, Proavi, Regum, simulachra reponit
 Justitia et Pietate sacra CHRISTINA; Sereni
 Divina o Soboles GUSTAVI Regis ADOLPHI!
 En Decus Heroum, meritis Illustrior altis,*
CAROLE MÖRNERI, Baro tu Nitidissime, Praeses
Judicij, Regni e summis Primatibus Heros:
Qualiter Aeneae clypeus monumenta Quiritum
Arduaque amplexus Divum simulachra tenebat:
Taliter Effigies Majorum ex ordine Regum
 10 *Reginae nostrae per scripta beata reponis.*
Enthea Relligio, Divini Numinis haustus
Aethereos, placide Populorum in pectora spargit.

Justitia aequa Homines timidos sylvestribus antris
Elicit, et tristi detergit secula victu.

- 15 *Dant Exempla fidem certam praemissa futuris;*
Nec secus illustrant Reginam, ac coerulea Luna
Solis inardescit Radiis, longeque refulget.
Salve, Judicij Praeses, Prudentia secli⁷:
Et totum coelum numerosa luce reclude,

20 *Ut Rex introëat, Regnorum Gloria CHRISTVS.*
Tuque Leonarde, Illustris Patris ardua Proles,
Vive, Patris celsi monumenta repone Baronis:
Et Pater, ut Phoenix erit in te Prole renatus.

Quod devote apprecabatur
 Laurentius Ludenius, Ph. et U.J.D.
 Prof. Ord. et pro t. Univ. Rector.

50. Adr: Karl Mörner – Aut: Gustavus Koßkull (cf. 48) SKB, UUB, Greifswald UB, H, [Tartu UB]
 GRATULATIO

Demosthenes; ut corpus anima carens cadit;
Sic civitas nullis administrara legibus,
evertitur.

	<i>Ita Hercle se res habet: Illustris et Generosissime Dn. Mörner / etc. Quos Herculea illa tenet Virtus, illis non in- sistant vestigiis, quibus in profundam voluptatis abyssum praecipiti fertur pede: Ast, quo per ardua quaevis dumeta dicit Divina Virtus, Sponte sequendum, cum non segni otio immortalis paretur gloria. Omne enim excellens, honestum et jucundum. Non sine labore Dij immortales morta- libus sua Bona vendunt. Quod quidem ipse diserta hac et veluti Nectaris succo delibuta Oratione edoces, qua immortalia Serenissimorum pristino- rum Sveciae Regum facta, Divinasque ab iisdem pro- mulgatas Leges et judicia, sine quibus Respub. con- sistere nequit, efflorescente exornas Encomio. Sed quid loquor? Egone ea repetam? Minime; quin potius de Entheo ingenij acumine, et admirabili dicendi lepore, gratulor. Vt pergas, svadeo: Vtque te strenuum Parnassi alumnus, multos in annos feliciter conservet, Supremum Numen, precor.</i>
5	
10	
15	
20	

Gustavus Koßkull /
 Nob. Svecus.

51. Adr: Karl Mörner – Aut: Johan Christoph Gryphiander (cf. 48)

SKB, UUB, Greifswald UB, H, [Tartu UB]
 GRATULATIO

CAROLE MÖRNERI, Decus immortale Tuorum;
Officij scalam carmine pingo Tui.

⁷ secli pro saeculi edd metri causa

I. Principio sancti Regni Camerarius audis,
 Et curas redditus foenore multiplici.
 5 II. Nobilis hinc audis Camerae Gravitate Minister
 Donec sol annos conficit orbe duos.
 III. Judicium floret Jencopingensis et Aulae;
 Hinc Assessorem Te gravis annus habet.
 IV. Mox Camerae placidus Tu Consiliarius astas,
 10 Donec sex anni transitione fluent.
 V. Hinc Castellanus Tu VViburgensis haberis,
 Anni dum laeto tempore quinque ruant.
 VI. Inde Gubernator terrae Generalis in orbe
 Ingrico ades, donec lustrum, ut et annus eat.
 15 VII. Et jam Judicij Reginae, Praeses habendus
 Dorpati: Salve! Sis Decus Eunomiae!
 Tuque LEONHARDE, Illustris Patris Haeres amande,
 Salve! Sis Generis deliciosus Honor!
 Atque ut coepisti, vestigia celsa Parentis
 20 Aeternum laeta dexteritate premas!
 Quod devote precatur L. Dn. Baronis
 Praeceptor
 Johan Christoph. Gryphiander,
 Lunaeburgensis.

52. Adr: Daniel Magni Oeslovius – Aut: Daniel Flojerus (Dissertatio theologica de ineffabili Spiritus Sancti suspirio, quo pro fidelibus apud Deum intercedit ex epistola Paulina ad Romanos, cap. VIII. v. 26. in Academia Gustaviana /.../ publicae disquisitioni submissa praeside /.../ Gabriele Elvering, /.../ respondente Daniele Magni Oeslovio, /.../ ad diem <> Junij. Dorpati Livonorum, 1653: J. Vogelius)

SKB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Invigilare sacris, Christo duce, perge Camoenis:
 Scis pia vita, pia et dogmata convenient.
Materia e tanta dum disceris, atque refutas
 Dogmata falsa, recens laus tua semper erit.
 5 *Si meritas possem laudes conscribere, coepito*
 Carmine, nunc vellem dicere laeta tibi.
Ut bene coepisti sic hinc pergas pede fausto
 Sic tandem patriam tutus adire queas.
Pergas, mi DANIEL, coepitis insistere pergas
 10 *Ad tandem certe pulchra brabea feres.*
Perge, et non poterit te faciti poenituisse
 Verum intercedit; Spiritus ipse Dei.

Rom. 8. v. 26.
Sic vovebat fratri suo dilectissimo
Daniel Flojerus.

53. Adr: Daniel Magni Oeslovius – Aut: Johannes Andreeae Dryander (cf. 52) SKB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Quo tandem vasti pandebat stamina coeli,
 Singula quaeque fovet, ductus amore DEus:
Chaldae, Graeci, Latij, Nilotica proles,
 denique quod prisco, dogmate condiderant,
 5 *Nominibus variis, dubij quid rectius esset,*

	<i>unicus, ingeminant, Spiritus attamen est:</i> Mox Ignis, <i>a</i> , lumenque <i>b</i> , Anima et, <i>c</i> , Mens, <i>d</i> , ipsa Voluntas, <i>e</i> , Fons, <i>f</i> , mox Vita, <i>g</i> , Salus, <i>h</i> , Unio, <i>i</i> , mox Amor, <i>k</i> , est; Occulte inspirans Sanctis sua dogmata, testis Aetas praeteriens, Scriptaque pia Patrum.	
10	Scilicet ad <i>Jordan</i> Specie et vestita columbae <i>Quae chaos ante fovit, Visibilis venerat:</i> Tertia lux rediit Spirabile Numen ab alto <i>Ignitis lingvis Discipulisque aderat.</i>	<i>A.M. 3977</i> <i>A.M. 3982.</i> <i>A.C. 35.</i>
15	Jam veritatis amans melius nunc Tharside natus En docuit <i>varia</i> et, <i>munera Sancte</i> notat: Romanas pellens, Divina mente, tenebras <i>Quae Christus docuit, Gentibus appropriat.</i>	
20	Unum, de multis, sibi sumit Praeses acutus Muneribus, Sancti Spiritus, enucleans: SPIRITUS EN SANCTUS STAT JUDICIS ANTE TRIBUNAL, NOSTRAS AGENS PARTES, QUIN GEMEBUNDUS AGIT! Dulcius at poterat, <i>Reis</i> ingeminare vel ecquod <i>Solatium miseris, Spiritus ipse Dei?</i>	
25	<i>Hoc dum mente colis, DANIEL Patriota, subintrat</i> <i>Artus et Ecce reget, Spiritus ille tuos.</i>	

a. Proclus ex Plethon Gemisth. b. Mercurius in Paemandro. c. August. cont. 5. haer. et Magi. d. Mercur. ap. Cyrillum. e. R. Nagid. Philo in Migr. Abr. f. R. super nomen 42. liter. g. Merc. in Asclep. c. 3. et 7. h. ibid. i Plutarchus. k. Pherecydes apud proclum et Acist. l. 2. de coelo.

Hoc in felix omen, suo inter amicos
singulari, reliquit
Johannes And. Dryander.

54. Adr: Eberhard Reimer – Aut: Zacharias Klingius (Ἐξήγησις dicti apostolici 1. Johan. 1,7. Τὸ αἷμα Ἰησοῦ Χριστοῦ τὸν νιοῦ αὐτοῦ (Θεοῦ) καθαρίζει ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ὁμαρτίας. publicae disquisitioni subjecta praeside /.../ Gabriele Elvering, /.../ respondente Eberhardo Reimero, /.../ ad diem <> Aprilis /.../. Dorpati Livonorum, 1653: J. Vogelius

EAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Praestantissime
Dn. EBERHARDE REIMER/
Amice dilecte et honorande.*

	<i>Quod primum, Reverendi et Praecla-</i> <i>rissimi Viri, Dn. M. Gabrielis Elve-</i> <i>ring, post inchoatum munus Professo-</i> <i>rium, Disputationis primae Respondentem Te</i>	
5	5 <i>sistis, ex animo Tibi gratulor. Non enim a</i> <i>puero solum, literis Sacris Te addictum fuisse,</i> <i>sed etiam in eo studio felices atque laudabiles fe-</i> <i>cisse progressus mihi propterea persuadere non</i> <i>dubito. Quemadmodum autem a Sacra Re-</i>	
10	gia Majestate, Regina et Domina nostra Cle- mentissima Virum modo nominatum, in Re- gia hac Dorpat. Academia Ordinarium SS. <i>Theologiae Professorem constitutum esse in-</i>	

15 *credibili gaudio afficiar: Virum, quem mul-*
tos ad Justitiam eruditurum certo scio et in-
dubitate spero: Virum in Solidioribus Sal-
vificae Fidei fundamentis, inque Controversiis
maxime gravioribus et in Statu Ecclesiae ho-
dierno scitu perquam necessariis exercitatissi-
 20 *mum: Virum non vanae gloriae, non ostend-*
tationi, non ambitioni, sed singulari huma-
nitati, et bono publico deditissimum: Vi-
rum, quem Celeberrimi quique Theologi no-
mine ac titulo Doctoris magno applausu di-
 25 *gnissimum censem: Quemadmodum inquam,*
hoc nomine summopere laetor; Ita quoque Tibi
Praestantissime Dn. Reimer iterum atque ite-
rum gratulor, Deumque precor, ut Sacri tui
Conatus in Nominis Divini gloriam, in vene-
 30 *randi tui Parentis solatium, inque perpetuum*
tui ipsius Ornamentum unice vergant, Vale!
Dorpati, inter meditationes Paschales, III. Id.
April. A. M DC LIII.

Praest. ^æ T. ^æ
 Addictissimus
 Zacharias Klingius, D.
 per Livoniam Superint. et Reg. Acad.
 Dorp. Vice-Cancellarius.

55. Adr: Eberhard Reimer – Aut: Gabriel Elvering (cf. 54)

EAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Delitiae nostrae, JESUS nos sangvine mundans
nostra salus, ingens gloria, dulce bonum.
Crimina nostra piat reparat reparandaque solus
Ex illo solo sola beata salus.
 5 *His studiis, REIMERE, sacris dum sedulus instas*
Patris avique pio tramite rite meas.
Egregiis mentem doctrinae accessibus imples,
Ut pergis, pergas, praemia dia feres!

Dn. Respondenti Affini et Commensali
 suo honorando
 Scrib. cum bono omine et
 voto
 Praeses.

56. Adr: Daniel Simonis Rudelius – Aut: Olaus Dalinus (Agriculturae elogia; quae, /.../ in Regia Gustaviana Adolphina Academia, quae Dorpati /.../ est /.../ die 8. Decemb. anno 1652. /.../ publice memoriterque /.../ enarrabat Daniel Simonis Rudelius, /.... Dorpati Livonorum, 1653:J. Vogel)

Karlstad StB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Docto ac Polito Juveni,
 DN. DANIELI SIMONIS RUDELIO,
 Wermeland. de Agricultura eleganter
 declamanti.

*Non minus hic recte, quam vere, dicitur illud:
 En diversa placent, sequitur sua quemque voluptas.
 Nam sunt queis volupe est, ad densas pergere sylvas,
 Ut laqueis captent, pavidos formidine cervos.*

- 5 *Sunt qui tellurem gaudent confringere ferro,
 Illorum gravidae, quo rumpant horrea, messes.
 Omnibus ast merito laudes debentur amore
 Ruricolis cautis, qui scindunt vomere terram.
 Hinc animo grator tibi, mi peramande RUDELI,
 10 Hanc vitam nobis recitas quod laudis honore.
 Perge, labor transit, fructus manet omne per aevum.*

Χρονόστιχον
*Annum habitae Orationis 1652.
 exhibens.*

Da ela Aeterna TrIas, CoeptIs hIs VeLa seCVnDa:
 I, feLIX qVo CVra qVeat ContIngere CVrsV.

Haecce pauca, L. mque apponebam
 Olaus Dalinus,
 SS. Th. Stud.

57. Adr: Joachim Schelenius – Aut: Laurentius Ludenius (Sceptris academicis, quae, /.../ in /.../
 Joachimum Schelenium, mathematum inferiorum professorem ordinarium, jam rectorem magnificum:
 /.../ Laurentius Ludenius, Ph. et U.J.D. professor juris ordinarius, ac regius academie bibliothecarius,
 die 15. Novembris anno 1653. /.../ conferebat, jam exrector magnificus. Dorpati, 1653: J. Vogelius)

SKB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

Excidit haud animis; manet alta mente repostum⁸
 Divinum auxilium GUSTAVI Regis ADOLPHI,
 Reginae et pia CHRISTINAE Clementia nostrae.
 Magnus erat sancte meritis Illustribus Heros:

- 5 Augusto propior cui Sangvine Juppiter ibat,
 Martis et Artis Honos, Divus GUSTAVUS ADOLPHUS,
 Delicium Humanae Gentis, Veneranda Corona
 Et Rex Arctoi longe Augustissimus Orbis;
 Qui Victor spoliis cum laudaretur opimis
 10 Cessissent Levonus et campis Hostilia castra,
 Ut peterent claros victricia signa triumphos:
 Ille hujus Domitor terrae, victi Pater Orbis
 Conspicuus longi palmis locupletibus aevi;
 Indoluit Levonus miserabile cernere vulgus:
 15 Indoluit, tristes Furias vidisse Tyranni
 Vivere munitas gladiis, septasque venenis
 Ancipites habitare arces, trepidasque minari!
 Indoluit, quod triste solum sine frugibus esset,
 Quodque omnes terras habitarent pallor et horror,
 20 Et jejuna fames, et siccae sangvine fauces,

⁸ *repostum pro repositum* S metri causa

Ossaque sub curvis multum arida et arida lumbis.
 Indoluit, Gentem vitiis gentilibus aegram
 Relligiosa sibi simulachra exsculpere, foedam
 Vel volucrem, turpemve bovem, torvumve draconem,
 25 Vel Solem affirmare Deum, quem rite videbat
 Clara serenatis infundere lumina terris.
 Indoluit, squallere abductis arva Colonis!
 Et legio hostiles bello diuturna cohortes
 Quod formavisset, quodque omnis terra soluta
 30 Aere renidenti per secula tota stetisset.
 Indoluit! graviumque inter discrimina rerum
 Ipse serenus ait: Christo Duce et Auspice Christo,
 Orbi Orbem Levonus reddam: tristesque ruinas
 Solabor fatis: finem dederoque laborum.
 35 Delicium hoc Regni, Numen Terrestre, Beate
 Dorpatensia Templa sacra haec Academica fundat,
 Et Christi ad laudem in medium donaria ponit
 Aeternoque beat reditu haec Regalia Tempe,
 Ut placide semper pia pulpita tota sonarent,
 40 *Usque timete DEum*, qui Nato et Flamine Sancto
 Aequaevis, Aeternus agit, Monas et Trias Una,
 Personis distincta Tribus, Deus Unus et Idem
 Omnipotens, sine principio, sine fine locoque
 Qui pecudumque Hominumque genus, Titaniaque astra
 45 Principio ex nihilo Verbo Omnipotente creavit
 Dispositique locis, dextraque potente tuetur,
 Ne pereant errentve via, qua pergere jussa.
 Regali invitat censu Rex inclytus Heros,
 Eusebiae, Eunomiae, Panaceae et Pallados Almae
 50 Doctores, Multo studio Eloquioque verendos.
 Regali invitat censu Celsissimus Heros
 Mercurij sobolem: superat dum laeta Juventus,
 Divina ut discat sacrosancti Oracula Verbi.
 Justi Aequique Artem; numerosum usumque medendi,
 55 Socratico et quicquid manavit ab ordine, quicquid
 Docta Cleanthaeae et sonuerunt atria turbae.
 Divini jussu GUSTAVI Regis ADOLPHI,
 Magnorum Decus Heroum immortale, JOHANNES
 SKYTTIVS, Illustris Regni Baro; candida Virtus
 60 Quem Sanctos inter Proceres; Regnique Potentes
 Proferre edocuit summis de rebus habenda
 In dubiis responsa, pias et reddere voces;
 Ipse Gubernator Levonus hoc Generalis in Orbe
 Dexter adest: cito solennes deducere pompas
 Imperitat, castis sociare et Pergama Musis,
 Atque perennantem Musis dare Civibus Urbem.
 Supremi exsurgit Reverentia Numinis: Omnis
 Ad sanctum Jubar, immensique ad luminis ignes
 65 Erigit attentas Aures et pectora tota.

- 70 Eunomia antiquae pergit discrimina culpae
 Eluere, et quicquid miserorum morte piandum.
 Explorant adversa Viros: Jus, Fasque, Piumque
 Instructi humanas mentes, ut corde receptae
 Uno Virtutes totos vertantur in Usus.
- 75 Interea ille Heros Divus GUSTAVUS ADOLPHUS,
 Rex Sveonum, Illustris cui VIRTUS NUMEN ET ARMA,
 Pro Christi et verae pro Religionis amore,
 Teutonicae et pressae pro Libertatis honore
 Coelesti gaudet caput insignire Corona.
- 80 Lutzeni inscribit dum Nomina Sangvine campo;
 In Coelo inscribit sua Nomina Sangvine Christi.
 Inlyta Progenies GUSTAVI est Regis ADOLPHI,
 Heroina, Decus Patriae, CHRISTINA, Serena
 Arctoo Regina Throno, Solioque verenda:
- 85 Divini huic Patris magno jactura dolori est!
 Exanimant curae, turbataque funere mens est.
 Hinc tamen Illustres animos Illustribus ausis
 Adjicit; et, Christo Domino comitante, volentes
 Per Populos dat jura, piis et Legibus implet
- 90 Arctoas Terras: Summi Reverentia Christi
 Illustri Illustrat nostras Ditione Camoenas.
 Edocet Eunomia hinc, fastus luxusque procaces
 Tollere vel monitis, vel soeva exurere flamma.
 Ipsa Hygia in pigro collapsas corpore vires
- 95 Restituit; ferro et culpam compescere pergit,
 Edocet hinc Pallas veluti per inhospita tesqua
 Nitatur Virtus ad laudem interrita clivo.
 Regali ut regat hinc nostras Bonitate Camoenas
 Rectius in sacra gravium statione laborum,
- 100 Ille Academiaci nitidissimus Ordo Senatus,
 Magnificum, ad Regis Praescriptum juge quotannis
 Eligit: et te jam legit, o JOACHIME SCHELENI,
 Magnifici cui Delicias jam muneras altas
 Dat degustandas venturum rite per Annum.
- 105 Quod cum sit nona cras hora rite futurum;
 Magnifici Proceres, Arctoi gloria Regni:
 Magnifice o nostrae Procancellarie Musae:
 Eusebiae, Eunomiae, Panaceae et Pallados almae
 Doctores, Populi Patres, Civesque Quirites;
- 110 Et tu Mercurij soboles, Delecta Juventus
 Adsis, quo per se florentis imago Lycei
 Luceat hinc major: meritasque ornare secures
 Regales detur, Christo Duce, et Auspice Christo.

58. Adr: Olaus E. Sundelius – Aut: Petrus S. Lidenius (Disputatio moralis de temperantia; quam /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est, sub directione /.../ Petri S. Lidenii, /.../ censurae submittit Olaus E. Sundelius, /.../ ad diem <> Decemb. anni 1653. /.../. Dorpati Livonorum, 1653: J. Vogelius)

SKB, UUB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

Sit licet *una DEI Lex legalisve voluntas,*
 illa tamen *geminō* est notificata *modo:*
 Praeterquam quod enim *Mosis descripta tabellis;*
 inscripta est eadem *cordibus etiam hominum*
 5 *Cordium et in libro, legem hanc, digito omnipotentis*
 Ut scripta est, tradens, optime is ipse facit:
 Mosis et in tabulis, legem hanc, digito omnipotentis
 Descriptam, tradens, optime et ille facit.
 Ergo, modo hoc, Legi perscriptae et traditae, utrovis
 10 qui studet, an dubium est? Num bene et is faciat?
 Non dubium est: Cum sit lex divina una eademque,
 Legifer unus ut est, non sibi et oppositus.
 Hinc et utroque modo, hanc, mi *Praestantissime Olai*
 Sundeli, expressam dum colis egregie,
 15 Exprimis et vita: Studiosi utriusque Sophiae
 Ingenui, egregium nomen et omen habes.

Ita eruditissimo et humanissimo
 Dn. Respondenti
 L. mque applaudit
 Praeses.

59. Adr: Olaus E. Sundelius – Aut: Josias Josephi Fougman (cf. 58) SKB, UUB, H, [Tartu UB] GRATULATIO

Proxima teque Solo genuit patrio mihi terra;
Gratulor Ingenium non sterile esse tuum:
Sed peperisse piis, condignum hoc tempore Musis
Sobrietatis sic, Insuper effigiem.
 5 *Hic quam quisquis amat secura naviget aura:*
 Quod tibi proveniat, faxit id Astripotens.

Ita amoris contestandi gratia
 Affini suo dilecto app.
 Josias Josephi **Fougman.**

60. Adr: Olaus E. Sundelius – Aut: Johannes P. Dalenius (cf. 58) SKB, UUB, H, [Tartu UB] GRATULATIO

Laudibus ut dignis omnes extollimus artes
 Nonne ita virtutum merito quoque laudibus amplis
 Ornamus studium? virtus cum Regula vitae
 Pulchra siet, laude haud ullus quam plus satis ornat!
 5 Virtutum in numero non ultimo sed numeranda
 Cum sit et haec virtus, vere φρένα dicta σοοῦσα
 Utpote quae reliquis dat fulcrum praesidiumque
 Ergo tuum studium laudo, mi Sympatriota,
 Quo colis hanc virtutem, ut discursus probat isthic
 10 Macte de hinc doctis, sic invigilare Camaenis
 Ut tandem Patriae Lux sis pulcherrima nostrae.

Praestantiss. atque Literatiss. Dn. Respondenti
 Contubernali suo perquam di>lecto⁹ ita
 gratulari voluit
 Johannes P. Dalenius,

⁹ Charta maculata U

Sudermannus.

61. Adr: Petrus Nicolai Virgander – Aut: Zacharias Klingius (Disputatio II. ordinaria de Scriptura Sacra continens ἐπίλυσιν quaestionum, quam /.../ praeside /.../ Gabriele Elvering, /.../ in Academia Gustaviana /.../ publicae disquisitioni subjicit Petrus Nicolai Virgander, /.../ ad d. <> Novembris, /.../. Dorpati Livonorum, 1653: J. Vogelius)

UUB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Ad Praestantissimum et Literatissimum

Dn. Respondentem.

Raros atque graves qui tecum solvere nodos
Ex Sacris pergunt, in Sacris erudiendi:
Proficiant opto, penetrando rite medullam
Nervose PRAESES simul et quam monstrat acute,
 5 *Aemulus HÖPFNERI, quo vix felicior alter*
Ad declarandum Scripturae Dogmata, vixit.

ZACHARIAS KLINGIUS, D.
 Per Livon. Superint. et Reg.
 Acad. D. Vice-Cancell.

62. Adr: Johannes Wittstockius et Catharina Warneke – Aut: Gualterus Auerdunck (Sacris nuptiarum honoribus /.../ Johannis Wittstockii, pastoris ecclesiae Dörpatensis, /.../ sponsi, cum /.../ Catharina /.../ Joachimi Warneke, haereditarij in Soor, et consulis reipub. Dörpatensis /.../ filia, sponsa; Dörpati 16. mensis Augusti, anni /.../ 1653. /.../ celebrandis, quaevis fausta precantur aliquot fautores et amici. Dorpati Livonorum, <1653>; J. Vogel)

UUB, [Tartu UB]
EPITHALAMIUM

Quam bene disponat Deus, in te, Sponse, Videmus:
Accipis e Patrio Climate Dulce Jubar.
Stralsundum radiis tua lumina perlustravit;
Wollinumque suos opposuit radios:
 5 *Hinc calor exortusflammam produxit amoris;*
Conjugique dies anticipare facit.
*Et quia Stralsundum tendis, sic forsitan **Holland**,*
*Ni forte **Engelland** praepedimenta ferat.*
*Nomen habes **Wittstock**: Ergo hoc baculo obvia rumpe:*
 10 *Ut duo sint Unum corpora, et Una Caro.*
Mandat enim Deus, ut jungantur foemina, Virque,
Et fiat casti copula casta tori.
Longe aliter Papista docet, Venerisque secutus
Luxuriam damnat connubiale jugum.
 15 *Sed doctrinam aliam noster Wittstockius affert,*
Et proprio exemplo comprobat ipse suo:
Nam cum Luthero in Catharinae amplexibus haeret,
Haec verba ingeminans, tu mihi sola places.
Ergo Vale, Vade, et thalamum concende, Tuamque
 20 *Caste antiquorum amplectere more Patrum.*

Tu speciosae,
Relligiosae,
Officiosae,
Atque Benignae,
Oscula fige.

25

30

*Addo precorque
Votum ego tale;
Vox brevis etsi,
Hoc tamen opto,
Pondus ut insit,
Verbaque res sint:
Crescite, Dixi.*

M. Gualterus Auerdunck,
Assessor Supremi Consistorij,
et Districtus Dorpatensis
Praepositus.

63. Adr: Johannes Wittstochius et Catharina Warneke – Aut: Erasmus Pegau (cf. 62)

UUB, [Tartu UB]
EPITHALAMIUM

Ἐυχὴ γαμικὴ.

Alme Deus rerum cunctarum factor et author,
Omnis in hoc mundo fons et origo boni;
Conjugij sancis qui foedera prima pudici,
Quique duos una vivere carne cupis.

5 Te precor hosque fove Sancto rege Flamine Sponsos;
Quo dicant laudi carmina grata tuae.
Pectoribus juncti tibi sint habitabile templum;
Ipsorum sit mens una, sit unus amor.
Insidias depelle malas, averte dolosque,
10 Conjugibus Daemon quos fabricare solet.
Tandem conjugij videant fac ordine longo
Pignora, quae curis dulce levamen erunt.

Erasmus Pegau,
Proto-Synedrij Livonici Ad-
sessor, et Pastor Dorpat.

64. Adr: Johannes Wittstochius et Catharina Warneke – Aut: Martinus Jemerlingius (cf. 62)

UUB, [Tartu UB]
EPITHALAMIUM

Felicem merito non proclamamus Amicum,
Acquirit fidum qui sibi consocium.
Fidum, JOHANNES, quo non est fidior ullus,
Accipies hodie, gaudeo sorte tua.
5 Nam venit in thalamum, fratris quae vincit amore
(Quod loquor expertus) candida Sponsa fidem.
Es felix igitur tu, es terque quaterque beatus.
Vivite concordes, vos beet alma fides!

Paucula haec suo Domino Collegae occupatus
scribere voluit
M. Martinus Jemerlingius,
Dorpati ad D. Joh. Pastor
Primarius.

65. Adr: Johannes Wittstochius et Catharina Warneke – Aut: David Wehlanus (cf. 62)

UUB, [Tartu UB]
EPITHALAMIUM

*JOHANNES WITTSTOCHIVS JVLINENSIS**Per Anagram. (abj. aspir.)**I! ES VELVTI VITIS CONSTANS IN SION.¹⁰*

*Mvlta tulit fecitque puer sudavit et alsit,
 Vt quivis fixum possit habere scopum.
 Per varios casus, per tot certamina rerum,
 Te reperisse tuum gaudeo, Sponse, scopum.
 5 O tu Jane, bonis merito annumerande Ministris,
 His quibus in terris promeruere decus.
 I! VELVTI VITIS CONSTANS est semper in horto
 Conspicuo: sic tu ES VITIS IN arte SION;
 Officio ut luces Populo Reverende Sacerdos,
 10 Sic thalamo LVX sis, Sol, oculusque tuo.
 Esto Oculus dulcis, rogo, tu Catharina Marito
 Et verbo, et nutu te sine sponte regi.
 Faenore sic multo tu disponente Jehova
 Augebis propriae tecta Laresque domus.*

In Officij et nuptiarum grat.

haec appos.

David Wehlanus, Spremberga

Lusatus p.t. Dorpat. Cantor.

66. Adr: Johannes Wittstochius et Catharina Warneke – Aut: Christianus Faber (cf. 62)

UUB, [Tartu UB]

EPITHALAMIUM

Adam ne solus vivat, DEus addidit Evam;
 Papa facit Monachum, et vivito solus, ait.
 Augeri mundum jussit DEus; iste repugnat,
 atque suum Monachum pernegat esse virum.
 5 Quam bene convenient DEus, atque Vicarius ejus,
 Exstruit ille Orbem, destruit alter eum.
 Nulla salus Monachis, Evam Te poscimus omnes;
 Dummodo serventur publica jussa Dei.
 Quod Tu, Vir Reverende, facis: FELICITER ergo
 10 acclamant thalamo fata beata Tuo.

Gratulanti calamo scrib.

Johan-Christianus Faber,

Jur. Stud.

67. Adr: Johannes Wittstochius et Catharina Warneke – Aut: Casparus Pegaw (cf. 62)

UUB, [Tartu UB]

EPITHALAMIUM

Sic jam, Vir Reverende, tibi DEus arbiter orbis,
 Aedificat Costam dexteritate piam.
 O tecum vivat toto feliciter aevo.
 Et faciat pulchra te (rogo) prole Patrem!

In honorem Reverendi Dn. Sponsi, futuri
 Promotoris sui Certissimi, depro-
 perabat
 Casparus Pegaw /

¹⁰ Anagramma non recte constructum

Dorp. Livon.

68. Adr: Johannes Wittstochius et Catharina Warneke – Aut: Hermannus Witte (cf. 62)

UUB, [Tartu UB]
EPITHALAMIUM

Quos DEus associat, potis est disjungere nemo;
 Praesentes SPONSOS jam DEus associat;
 Ergo praesentes potis est disjungere nemo,
 Donec disrumpant vincula, jura necis.
 5 Vivite felices SPONSI, procul absit Erinnys,
 Adsit verus ἔρως vera corona tori.
 Pace quid utilius thalamo? nil. Pace togata
 quae floret, Domus est laeta quieta diu.
 Haec tibi, *Vir Reverende*, precor de pectore vota:
 10 JOVA fave SPONSIS ut rata vota sient.

Hisce Domino Hospiti ac Fautori suo perpetuam summi Numinis
 praesentiam et benedictionem cordicitus precatur
 HERMANNUS **Witte**.

69. Adr: Johannes Wittstochius et Catharina Warneke – Aut: Anonymus (cf. 62) UUB, [Tartu UB]
EPITHALAMIUM

Corporis effigiem si quando vis genitivam
 Cernere, tunc speculum consule soepe tuum.

1654

1. Adr: Olaus Nicolai Bergius – Aut: Gabriel Elvering (Sacrīs magisterii honoribus, quos /.../ decanus facultatis philosophicae /.../ Petrus S. Lidenius, log. et eth. professor ordinarius, ac /.../ SS. Theol. adjunct. /.../ in Regia Gustaviana Adolphina Academia, quae Dorpati Livonorum est /.../ die XIV. Decemb. an. M.DC.LIV. publice /.../ conferebat /.../ Olao Nic. Bergio, /.../ seqq. carminibus applaudunt patres civesque academici. Dorpati Livonorum, <1654>; J. Vogelius)

Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*En quod, mi Bergi, Parnassi culmina montis
 Scandere summopere sollicitus fueris:
 Nunc tua Phoebeis, cinguntur tempora sertis
 Ad votumque cadunt jura Magisterii.
 5 Gratulor ergo novos virtus quos tradit honores
 Crescant hi, crescat virtus amoreque boni!
 Major sic tandem laus surget, gloria major,
 Sic carus Patriae, carus erisque DEO.*

Σύγχαρη
GABRIELIS ELVERING,
SS. Theol. P.P.

2. Adr: Olaus Nicolai Bergius – Aut: Petrus Lidenius (cf. 1)

Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*BERGI Pieridum Cultor celeberrime OLAE
 Dudum dignus eras, Tu, praemia queis Studiorum,
 Ecce novenfilium ad nutum tibi Apollo Sororum,*

Confert; praeclarum nomen Titulumque MAGISTRI.

5 *Prosit honor! prosit! quam plurima commoda Jovae
Adferat in laudem! Patriae et dulce emolumentum!*

Ita
cordicitus adgratulor vo-
veoque
Petrus Lidenius, P.P. et h.t.
Fac. Phil. Decanus.

3. Adr: Olaus Nicolai Bergius – Aut: Olaus Wexionius (cf. 1) Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Dignus eras cingi dudum Doctissime Bergi;
Nunc igitur merito Laurea sarta capis?
Serta capis merito, nec enim Te rectius alter:
Hinc patriae grator gratulor atque Tibi!*

Sincero affectu, ut tumul-
tuarie, fudit
M. Olaus Wexionius,
Polit. et Hist. Prof.

4. Adr: Olaus Nicolai Bergius – Aut: G(udmundus) L(idenius) (cf. 1) Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Jam tua messis adest, non torpens namque cicada
Hactenus extiteras, jam tua messis adest.
Qui ferit aut cumulat quid, fructus tempore tandem
Redditur, expertus qui ferit aut cumulat.
5 Et documentum en Ti multum *venerande Magister*
Redditur, hoc tandem tempore proficuo,
Tempore proficuo en tibi redditur, hic studiorum
Optatus fructus, gloria honorque novus!*

Applaudebat
M. G. L.

5. Adr: Olaus Nicolai Bergius – Aut: Henricus Igelström (cf. 1) Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Nec mea te poterit jam carmine Musa silere,
BERGI, quin tradat vota parata tibi.
Sicque Magistro (io!) tibi summus adesse Magister
In cunctis pergat: Sint rata vota mea.*

Dn. Praeceptorio suo ut fluxit
ita scripsit
Henricus **I gelström** /
Nobilis Liv.

6. Adr: Olaus Nicolai Bergius – Aut: Haraldus Igelström (cf.1) Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Dante DEO BERGI merito Praeceptor amande,
Jamque tuum lauru cingit Apollo caput.
Sit faustum felixque Deus meditanda gubernet,
Atque sui in laudem, propositumque regat.*

Haraldus **I gelström** /
Nobilis Liv.

7. Adr: Olaus Nicolai Bergius – Aut: Gustavus Igelström (cf. 1) Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO
*Sic Praeceptoris voveo de pectore toto
Prospera cuncta libens, quae dabit usque Deus.*
 Gustavus Igelström /
Nobil. Liv.
8. Adr: Olaus Nicolai Bergius – Aut: Petrus Sporsoelius (cf. 1) Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO
 Tempus adest tandem, dum te studuisse juvabit,
 Tempus adest virtus quo praemia digna reportet,
 Tempus adest probitas tua ut instar lucis amoena
 Splendeat, et claros titulos et Nomina honoris
 5 Gestes, hinc gaude mi nomine reque MAGISTER.
 Honoris et amoris E.
 sc.
 Petrus Sporsoelius,
 Calmaria-Goth.
9. Adr: Olaus Nicolai Bergius – Aut: Simon Theodori Hodensius (cf. 1) Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO
*Magna ex Marte venit virtutis adorea: sic et
Artis pulcher honor, non minor est meritis.
Artes Ingenuae quos dant OLAVE Triumphos
Nunc expertus ovas laetus honore novo.
5 Eusebiae et Sophiae, sic tandem incumbere prodest;
Nulli Cultori namque Minerva deest.
Prosit honor voveo, multum dilecte MAGISTER,
Praemia constanti digna labore cape.*
 Ita lubenti animo gratu-
 labatur
 Simon Theodori Hodensius,
 Smol. Svecus.
10. Adr: Olaus Nicolai Bergius – Aut: Olaus Dalinus (cf. 1) Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO
 Magister Olaus Nicolai Bergius Smolandia-
 Svecus
 ἀναγραμματιζόμενος.
 Strenuus in bello Miles armis vagas, o gaudio accis.
Enodatio.
 Strenuus in bello Miles *ceu se gerit armis*
Ambiguo passim pressus ab ense vagans:
Non contentus eo quod dicit ab hoste trophyeo
Semper in alternum gaudet abire decus.
 5 *Eusebiae studiis sic tu nec fraena remittis*
Quae tuus ecce labor praemia larga dabit:
Tu quia Poeoniis mi BERGI docte Camoenis
Invigilasti et in his pergere semper amas.
Delius hinc augur, qui nervis temperat arcum

10 *Servans Castalii flumina sacra vadi,
Texet odoratam vario de flore coronam
Offeret et meritis, debita serta comis.
Cum tibi legitima titulos ratione parasti
Dignos Philosopho laudis honore frui,*

15 *Praeprimis igitur tibi confert laurea sesta
Almae virtutes quae meruere tuae.
Ex numero pulcro discedis honore Magister
Ex merito capiens praemia magna tuo.
Gaudio et hinc reliquos accis vigilare Camoenis*

20 *Educat Aonio quos Schola summa Thymo.
Hinc patriae acceptus fueris sic Charus Amicis
Quo fias major cresce vire atque, vale.*

Uti moris, ita honoris E. gratu-
lari voluit anim. et calam.
Olai Dalini, W-Gothia Sveci.

11. Adr: Olaus Nicolai Bergius – Aut: Zacharias Johannis Colliander (cf. 1)

Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Quid labor et vigilans industria possit, OLAUS
Gloria vera venit si qua labore venit.
Tu Sophiae jungis docte decus artis honestum,
Et mores tinctas integritate geris.

5 Qui Studiis prodes simul exemplisque juventae,
Et juvat ingenua ponere in arte dies.
Ecce per ingenuas artes, BERGI caput effers,
Ecce capis fructus artis et ingenii.

Ita populari suo jucundissimo ani-
mitus gratulatur
Zacharias Joh. Colliander,
Smol.

12. Adr: Olaus Nicolai Bergius – Aut: Erlandus Hiärne (cf. 1)

Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

OLAUS NICOLAI BERGIUS, S.
'Αναγραμματικῶς
i in e verso
Euge incola Orbis Salus.

*Fortibus est aliquid rura exercere juvencis:
Praestat ubique Salus.*

Sylvicolae est aliquid studia exercere Diana:
Incola gaudia habet.

5 *Est aliquid positos numerare in foenere nummos:
Orbis amat Simile.*

*Est aliquid Patriam numeroso Marte tueri:
Incola fidus adit.*

*Est aliquid placuisse Viris Magnatibus Orbis:
Sed ruit Orbis iners:*

10 *Ast melius clariis vitae dare tempora Musis:
Euge fidelis eris!*

Euge, *igitur faciles optans transmittere soles;*
Invigiles studiis.

15 *BERGI fide DEO, tandemque Salus erit Orbis:*
Sic pia fata jubent.

Nominis e studiis meritam capiendo Salutem;
Euge Magister eris.

Dignus honore Magisterii hic, cui Pallas amica est,
20 *Adsit ab axe Salus!*

Congratulans f.
Erlandus **Hiärne** / Svecus.

13. Adr: Olaus Nicolai Bergius – Aut: Nicolai B. Hagenius (cf. 1) Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Gratulor o BERGI condignos carmine honores
Vere et condigne jam dudum quos meruisti;
Sintque precor Domino grati, tibi proficuique
Mi BERGI salve, salve mi Clare Magister
5 *Exornes Patriam tanto charissimam honore.*

Charissimo suo Fautori et Po-
pulari adpl.
Nicolaus B. Hagenius, Smol.

14. Adr: Olaus Nicolai Bergius – Aut: Andreas A. Dryander (cf. 1) Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

MAGISTER OLAUS BERGIUS,
Per Anagramma:
Addito S.
SUB LAURO MAGIS EST! GERIS.

Enodatio.

Sub lauro magis est; *veluti sub* messe coloni
Sudor in occulto est, exhibitusque labor.

Sub lauro magis est; *veluti turgente sub* arca,
Nummis, Propolae¹¹ multa pericla¹² latent.

5 Sub lauro magis est; *veluti sub* Miliis hasta
exsuperata necis sors latet atra viri.

Sub lauro magis est; *quam jam geris ecce* Magister

BERGI, sub lauro sudor in arte latet;

Non latet, ast index laurus sudoris amari

10 *Ipsa siet. Merito gratulor ergo tibi:*
Et voveo, messis felix, tibi plenaque theca,
Hic labor eximius, Gloria magna, siet.

Quod gratulabundus addidit
Andreas A. Dryander, Sm.

15. Adr: Olaus Nicolai Bergius – Aut: Petrus Danielis Stenius (cf. 1) Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Dante DEO, Doctis tandem reverentia habetur,

¹¹ *Propoloe* Li : corr *Propolae*

¹² *pericla pro pericula* Li metri causa

Dante DEO virtus quoque praemia digna reportat
 Hoc expertus eris merito jam Docte Magister
 Sis multum felix: Sis per pia secla¹³ superstes,
 Te DEUS omnipotens multos conservet in annos.

5

Devote apposuit
 Petrus Dan. Stenius, Neric. Sv.

16. Adr: Olaus Nicolai Bergius – Aut: Laurentius C. Vocenius (cf. 1) Linköping LB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

*Clara Brabeja manu nunc fert excelsus Apollo,
 quae merito actutum jungere vult capiti.
 Hinc tibi surget honos surgent quoque praemia magna,
 Praemia digna solo, praemia digna polo.
 5 Salve igitur BERGI qui scandis culmen honoris,
 Atque nites clara fronde Magisterii.
 Insuper et voveo succedant singula laeta,
 Sintque novo gradui fata benigna tuo!*

Properanti calamo gratul.
 Laurentius G. Vocenius, Sm.

17. Adr: Olaus Dalinus – Aut: Gabriel Elvering (Disputatio IV. ordinaria de Scriptura sacra continens
 quaestionem de ejusdem divina autoritate, quae /.../ publicae disquisitioni subjicietur praeside Gabriele
 Elvering, /.../ in Academia Gustaviana /.../ respondentे Olao Dalino, /.../ ad d. < > Octobr. /.../.
 Dorpati Livonorum, 1654: J. Vogelius) Göteborg UB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

*Ad Praestantissimum Dn. Respondentem
 Amicum suum dilectum.*

Principium fidei divino robore firmum
 Unica Scriptura est sancto spiramine scripta.
 Ast miserum, qui principium geminum sibi fingit!
 Sed contra dogma hoc divinum degener ille
 5 Papanus coetus conservat dogmata Papae
 Impia, quae sacrae scripturae adversa repugnant.
 Tantane vos vestri tenuit fiducia Papae!
 Te doctum meliora manet mens, docte DALINE,
 Sanior, aggredere hos hostes spolia ampla reporta!

5

Benevolent. E.
 scrib.
 Gabriel Elvering,
 P.P.

18. Adr: Olaus Dalinus – Aut: Ericus Holstenius (cf. 17)

Göteborg UB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

DALINUS Domini Defendit Dogmata Docte,
 Dissuadens Doctis, Dissona Dicta DEO.
 Digna Dehinc Dominus DALINO Dona Daturus;
 Ditescit Domini Dogmate, Dante DEO.

Dn. DALINO Deprop.
 M. Holstenius P.P.

¹³ secla pro saecula Li metri causa

19. Adr: Olaus Dalinus – Aut: Haquinus Fredzbergius (cf. 17)

Göteborg UB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Gratulor ex animo tibi mi Patriota DALINE
 Quod studio pergas invigilare sacro.
 Vnde animi plagis fomenta sacra petendum
 Quasque pius votis expetit orbis opes.*

5 *Quod studium gemmas quoque vincit honore nitentes,
 Et superat precio cuncta metalla suo.
 Sunt cursus coeli qui curant mente profunda
 Scrutari ac summi lucida tecta poli
 Ast tibi sit curae Christum cognoscere fontem
 Justitiae, aeterni qui patris est suboles:
 Non moriturus honor te laeta hinc sorte manebit,
 Mulcet ubi Elysias aura beata rosas.*

Sincerae affectionis E. Doctiss. Dn. Respondenti, Fautori suo honorando gratulari voluit
 Haquinus Fredzbergius,
 W-Gothia Suecus.

20. Adr: Johannes Andreae Dryander – Aut: Andreas Virginius (Sacrī magisterii honoribus, quos /.../ decanus facultatis philosophicae /.../ Petrus S. Lidenius, log. et eth. professor ordinarius, /.../ ac SS. Theol. adjunct. /.../ in Regia Gustaviana Adolphina Academia, quae Dorpati /.../ est /.../ die XIV. Decemb. an. M.DC.LIV. publice /.../ conferebat /.../ Johanni And. Dryandro, /.../ seqq. carminibus applaudunt cives academici. Dorpati Livonorum, <1654>: J. Vogelius) H, [UUB], [Tartu UB]

GRATULATIO

Eximias alii virtutes, *Clare Magister,*
 Decantent, dotes ingeniique tui:
 Quod petis, en tibi do, cordis mea candida vota;
 Votis hisce Deus pondus inesse sinat:
 5 Semper honos vigeat, firma et laus postuma constet,
 In patriam reducem te faciatque DEUS.

Ita gratulabundus cecinit
 Andreas Virginius,
 SS. Th. D. et Prof. prim. nec
 non p.t. Acad. GUSTAVIANAE Rector.

21. Adr: Johannes Andreae Dryander – Aut: Petrus Lidenius (cf. 20)

H, [UUB], [Tartu UB]
GRATULATIO

*Num messem optatam septem subjecta Trioni
 Concedat tellus, brumali hoc tempore, multi
 Et merito dubitant alio sub sole calentes,
 Attamen optatam messem, mi Docte DRYANDER,
 5 Profert bruma tibi, vide ager quem tu coluisti
 Quam dulces profert fructus! tandem ergo laboris
 Recte exantlati quantum meminisse juvabit!
 Gratulor, o Patriae decus, in laudemque JEHOVAE
 Vit cadat voveo haec messis! solamina multa,
 10 Accedant precor inde tuis, Tibi et emolummentum.*

Ita Populari et Hospiti meo
 adplundo

M. Petrus Lidenius,
P.P. et h.t. Fac. Phil. Decan.

22. Adr: Johannes Andreae Dryander – Aut: Olaus Wexionius (cf. 20)

H, [UUB], [Tartu UB]
GRATULATIO

Docte DRYANDER
*Carmine culto
 Te celebrare
 Mens peramica
 5 Expetit. Ast cum
 Tempus hoc Arctum
 Id vetet; oro,
 Accipe votum,
 Quo precor ampla
 10 Haecce Corona
 Quam Tibi confert
 Magnus Apollo
 Prosit; Et alta
 Tollat ad astra,
 15 Perpetuandam
 Nominis illam
 Quam meruisti
 Jam bene famam.
 Sic erit ut Te
 20 Jure salutet
 Svecica nostra
 Terra MAGISTRUM.*

Festina manu, calido tamen affectu
 scribebam
 M. Olaus Wexionius,
 Polit. et Hist. Prof. Publ.

23. Adr: Johannes Andreae Dryander – Aut: Gudmundus Lidenius (cf. 20)

H, [UUB], [Tartu UB]
GRATULATIO

*In patriam rediens quondam Laërtius Heros,
 Nec Loti captus dulcedine nec Polyphemi
 Faucibus absymptus nec iter remorantur iniqui
 Sirenesque negat Circes gustare liquores,
 5 Appulit in patriam felix facundus Ulysses.
 Tu socium nostrum pars sic speciosa DRYANDER
 Informas gressum, cautusque pericula vites
 Quae struxit mundi fraud et malesvada voluptas.
 Quid numerare refert? modo sis transgressus amice,
 10 Nec minus optato studiis decoreris honore,
 Conatum potius laudem et mea vota resolvam,
 ut patriae decus alnum sis, charisque propinquis
 dum redeas felix, voveo, sis dulce levamen.*

Sympatriotae et amico suo dilectissimo congratulabundus haecce apposuit
 M. Gudmundus Lidenius.

24. Adr: Johannes Andreae Dryander – Aut: Petrus Sporsoelius (cf. 20) H, [UUB], [Tartu UB]
GRATULATIO
- Splendida sic virtus cingit tua tempora Lauro,
Nomen et eximium tibi dat nunc jure Minerva.
Post haec diceris Clarus praestansque Magister,
Dignaque sic Sophiae studiis jam praemia portas.*
- Quod congratulabundus
accinit
Petrus Sporsoelius,
Calm-Goth.
25. Adr: Johannes Andreae Dryander – Aut: Simon Theodori Hodensius (cf. 20) H, [UUB], [Tartu UB]
GRATULATIO
- 5 *Eusebiae felix cultor Sophiaeque Dryander,
Ingenio Musas splendidiore colis.
Ut decuit virtutis amor, vis Enthea mentis,
Adjungit Pallas serta verenda comis,
Macte novis titulis! Sint laeta encomia laudum,
Aeternum vireant serta Magisterii!
Ergo ter felix vivas mi Docte Magister
Et cedant votis cuncta benigna tuis.*
- Honoris et amicitiae infucatae
testificandae E. adjecit
Simon Theodori Hodensius,
Smol-Svecus.
26. Adr: Johannes Andreae Dryander – Aut: Olaus Dalinus (cf. 20) H, [UUB], [Tartu UB]
GRATULATIO
- 5 *Nuper in occursum venit mihi clarus Apollo,
Attulit et teneris, florida serta rosis.
Quaerito quo tendat? paucis ita voce profatus
Floribus ornatum pergo ait ille caput:
Ulterius rogito cuius jam tempora lauro
Cinges et viridis frondis honore comas?
Artibus ingenuis culti et virtute Dryandri
Respondit, cingent, Laurea serta caput.
Gratulor ecce tibi tales quod cernis honores
10 Quos tribuit Doctis, Cultus Apollo, viris.
Hinc addo svasor saltem, ne pergere cesses
Crescat ut in seros Gloria sera dies.*
- Paucula haecce Honoris et
Amoris E.
DorpatI pennIs LaetIs perarabat AMICo¹⁴
Olaus Dalinus W-Goth. Svecus.
27. Adr: Johannes Andreae Dryander – Aut: Zacharias Johanniss Colliander (cf. 20) H, [UUB], [Tartu UB]
GRATULATIO
- Ante perpessus fueras labores,
Ergo nunc dignos capias honores,
Inter et doctos residebis unus*

¹⁴ Hexametrum annum 1654 exhibens

Docte Magister.
5 Unde laetatus, Patriae, propinquis,
Et tuis charis genitoribusque
Et mihi, pleno, tibi, chare frater
Gratulor ore.
Et precor longum valeas in aevum
10 Tu diu clarus Sophia Dryander
Floreas semper velut ad fluentum
Quercus amoena.

Quod fratri ex animo lingva manusque voent,
Tui
Zachariae Joh. Colliandri.

28. Adr: Johannes Andreae Dryander – Aut: Nicolaus B. Hagenius (cf. 20) H, [UUB], [Tartu UB]
GRATULATIO

M. JOHANNES DRYANDER SMOLANDUS.

Per Acrost.

Musarum	Membrum	Maneas Mi	Magne Magister,
Ingenuos	Inter Juvenes	Jamque Ire	Juberis,
Doctrina	Divum Dicit	Diadema	Dryandrum,
Sol Studio	Sophiae Sic	Sis Semperque	Superstes!

Votum.

5 Quo tua te virtus jubeat Doctrina Fidesque
Nomine praeclaro Docte Dryander eas.
Singula fausta tibi lauro redimite Magister
Ex animo laeto comprecor et voveo.

Nicolaus B. Hagenius, Smol.

29. Adr: Johannes Andreae Dryander – Aut: Andreas And. Dryander (cf. 20) H, [UUB], [Tartu UB]
GRATULATIO

Allegoria.

Aesonius Jason, dum Cholcida missus adiret
Duceret auricomum vellus ut in patriam
Plurima sustinuit terraque marique pericla,¹⁵
Mystica quae vatsum dogmata commemorant.
5 *Dum Bithyniacam, Saphiros, Symplegades atras*
(Quae gravis esse solent pupibus interitus)
Transnatat et cautis in itinere ludit aplustris
Donec Cholcorum littora Cymba tenet.
Naribus efflantes vulcanum postea tauros
10 *Jungit et arte domat, dentibus arva serens*
Et clypeata seges dum mox exhorruit hastis
Viribus intrepidis sternitur ense viri!
Velleris excubias vigili peragente Dracone
Sopito, tandem vellera cara capit!

¹⁵ *pericla pro pericula* H metri causa

- 15 Quod tamen effecit *Medeae* doctus ab arte
 Quae simul auxilium consiliumque dedit,
 Hisce exantlatis tantoque labore periclis¹⁶
 En redit in patrios vellere *Iason* agros.
 Cujus ad accessum gratas plebs exstruit aras,
 20 *Aesone* quo *nati* nomina sera manent,
 En simili patriis oris ratione profectus
 Vellera capturus clare *Dryander* eras.
 Non tamen ad *lucum* convallem *Martis; et artis*
 (*Dorpta*) *locum* celebrem te tua propra vehit.
 25 *Desidiae* vitas *Scopulos Vini Venerisque*
 Quaque decet juvenem dirigis arte ratem.
 Aeripedes tauros, Affectus comprimis, Iram
 Ipse domas, fraenas *Bilis et Imperium*
 Atque trucem segetem, quibus ad tua laeta trophyae
 30 (Quae laudem mereant) *surgit in ore livor.*
 Hos animi patiens, prudens, depellis arena
 Dum modice suffers verba maligna virum,
 Et sopire potes spacious mole *Draconem*
 Dum prece pervigiles aufugis insidias.
 35 Quod *Medea* juvat, *consilia* tuta *sequendo*
 Mῆδος consilium est quo pia facta regis.
 Vellera, candidulis sunt *aurea Lantea* sertis
 Quam tuus ingenii cepit in arte labor.
 Hinc patriam rediens ut *dives vellere Iason*
 40 *Verticis in summo Laurea sarta gerit.*
 Exstruit ergo tibi sociata Heliconia proles
 Aras. Sudorum conscientia turba litat.
 Gratulor hinc patriae, genitoribus atque propinquis
 Vellere de capto gratulor atque tibi
 45 *Sangvine fraterno perchare, et Clare Magister*
 In seros annos vive mihique fave.

Ergo.

Mascula	Sic Druidum	Consurgit	Gloria	Stirpis,
Sic Druidum	Sobolis	fulcrum	fulcimen	avitae,
Consurgit	fulcrum	IANNES	pernobile	germen,
Gloria	fulcimen	pernobile	germen	honoris,
Stirpis	avitae	germen	honoris	surge <i>Dryander.</i>
				Quam
				Novis fratris sui honorandi lubens addidit honoribus
				Andreas And. Dryander.

30. Adr: Benedictus N. Ekaeus – Aut: Gabriel Elvering (Discursus theologicus de aeterna filiorum Dei ad vitam aeternam praedestinatione; quam sub praesidio [...] Gabrielis Elvering, [...] in Regia Dorpatensi [...] Academia publico examini sistit Benedictus N. Ekaeus, [...] auth. et respondens, ad diem <> Augusti an. 1654. [...] Dorpati Livonorum, <1654>: J. Vogelius) UUB, H, EAB, [Tartu UB] GRATULATIO

Eximio Dn. Respondenti, Amico meo

¹⁶ *periclis pro periculis* H metri causa

dilectissimo,
De PRAEDESTINATIONE dispu-
tanti
S. P. P.

*Sic Benedictus eris, si dogmata sacra tueris
Quod non desidia grande sed artis opus.
His bene munitus sacra fortis bella capesses,
Hosteque devicto, pulchra trophyea feres.
5 Sit tuus ille ratus conatus et utilis olim,
Cum sanctae plebis cura gerenda premet.
Quae nunc arma paras haec usibus opto futuris
Impendas, tandem sic Benedictus eris!*

Scrib. Amoris mnemo-
synon
Gabriel Elvering,
P.P.

31. Adr: Daniel Flojerus – Aut: Petrus Lidenius (Sacris magisterii honoribus, quos /.../ decanus facultatis philosophicae /.../ Petrus S. Lidenius, log. et eth. professor ordinarius ac /.../ SS. Theol. Adjunct. /.../ in Regia Gustaviana Adolphina Academia, quae Dorpati /.../ est /.../ die XIV Decemb. anno M.DC.LIV. publice /.../ conferebat /.../ Danieli Flojero, /.../ seqq. carminibus applaudunt patres, civesque academici. Dorpati Livonorum, <1654>; J. Vogelius)

Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*DANIEL, eximios inter non ultime alumnos
Pieridum, Te nostra canet quoque carmine Musa:
Novimus in studiis quam sedulus usque fuisti,
Novimus egregium quam sit tibi mentis acumen
5 Novimus et Pietas quam sit tibi cordi et amoena
Quam probitas adamata tibi, jam praemia digna
Accipis ergo: tuum sit clarum in tempora nomen.*

Ita suo amicissimo Dn. Populari
adplaudit
M. Petrus Lidenius,
P.P. et h.t. Fac. Phil. Decan.

32. Adr: Daniel Flojerus – Aut: Olaus Wexionius (cf. 31)

Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Splendida Pieridum soboles Flojere adamande,
Nunc tandem studiis munera digna refers:
Quando auro textum cingit tua tempora sertum,
Exornat digitos annulus atque tuos.
5 Ingens sis patriae decus, hinc, et maxima Phoebi
Gloria: sic voveo! Clare Magister ave!*

In honorem conterranei et amici sui per dilecti,
sincero affectu L. Mque fudit
M. Olaus Wexionius,
Polit. et Hist. Prof. Publ.

33. Adr: Daniel Flojerus – Aut: M. G. Lidenius (cf. 31)

Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Improbi jam sat studij et Laboris,
sit satis noctes vigiles amaris*

artium radicibus hactenus quod
contribuisti.

- 5 Ventum ad optatam est, Patriota, metam,
 ventum et ad finem impigri, amice, cursus,
 arduum emensus studium es, Polite et
 docte *Magister*.
10 Ergo jam tandem meritum brabeum
 sume, *Flojere*, et meritos honores
 qui precor prosint! tibi semper et sint
 omnia fausta.

Ex Animo voveo
M. G. Lidenius.

34. Adr: Daniel Flojerus – Aut: Andreas Megalinus (cf. 31)

Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Quam nectunt Musae tibi svavis Amice corollam,
Accipe tu felix et Laurifer esto Magister,
Hinc Coelum tanget DANIEL tua fama perennis
Atque tuos laudes dictura est posthuma pubes.*

Eximio Dn. Candidato de honoribus Ma-
gisterij ita gratulatur
A. M. S.

35. Adr: Daniel Flojerus – Aut: Andreas Hellenius (cf. 31)

Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Sit felix Laurus quam confert docta Minerva
Nunc FLOJERE tibi! Sospes bene vive Magister.*

Ita gratulabundus vovet
Andreas Hellenius.

36. Adr: Daniel Flojerus – Aut: Petrus Sporsoelius (cf. 31)

Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

En! Caput exornat tuum, honoris pulchra Corolla,
Sic quae sunt Studio virtutis praemia digna
Accipis, hinc animo laeto sis Clare MAGISTER,
Omnipotensque DEUS, multos te sospitet annos.

Hoc in felix omen Fraterno suo amico gratula-
bundus apposuit
Petrus Sporsoelius
Calm-Goth.

37. Adr: Daniel Flojerus – Aut: Simon Theodori Hodensius (cf. 31)

Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*FLOJERE En facies coeli tibi candida ridet,
Aoniae splendes; dum summae frondis honore
Te doctae exornant Musae: dum Carmine Titan
Ipse hodie te ornat. Nihil est nam gratius ipsis
5 Musis. Dant Musae nomen post fata perenne.
Coelo Musa beat, famam quae obnoxia Letho
non est, conciliat debentur talia Musis.*

Moris honoris et candoris
E. apposuit
Simon Theodori Hodensius

Smol-Svecus.

38. Adr: Daniel Flojerus – Aut: Zacharias Joh. Colliander (cf. 31)

Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Cernere jam liceat DANIEL Clarissime cunctis,
 Adest ut immenso Phoebus amore tui.
 Tempora quae lauro digitos qui Cingit et auro,
 Clarus ita in titulis hisce Magister eris.
 5 Quae tamen assiduo meruisti dona labore,
 Quo fueris studiis deditus Aoniis:
 Gratulor ex animo, magno virtutis honori,
 Gratulor auspiciis hisce Magisterij
 Et votis pergo FLOJERE, ex mente serena
 10 Vergat ut in patriae nunc decus hocce precor.

Sic Fratri suo svavissimo gratulari
 voluit
 Zacharias Joh. Colliander.

39. Adr: Daniel Flojerus – Aut: Erlandus Hiärne (cf. 31)

Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

DANIEL FLOJERUS
 Κατ' ἀναγρ.
 Florens valide, i.

*Quid tibi mi DANIEL FLOIERE est nominis omen,
 Musarum castra sequendo?
 Nonne? quod a teneris virtute atque artibus annis
 Imbutus laude βροβεῖα
 5 Tanta geras. Valide florens, fructumque tulisti,
 Bene Pieria arte politum.
 Terpsichores, Phoebique simul vel Vraniae amicae,
 Valide Gnatus probus inde
 Dicier usque cupis. Nam Lincopense Lycaeum
 10 Fuerat tibi fida Magistra.
 Ad DORPATENSES quare mox aptus ATHENAS,
 Veniens exceptus es aeque
 Hinc ob doctrinam LIDENIVS arte DECANVS
 Cingit tua tempora Lauro.
 15 Gratulor ergo tibi, FLOIERE o gratulor inquam,
 Sic te invigilasse Camoenis!
 Nunc ergo i, felix vivas in Nestoris annos!
 Ita Mi valeasque Magister.*

Gratulab. fudit
 Erlandus **Hiärne** /
 Svecus.

40. Adr: Daniel Flojerus – Aut: Johannes S. Lidenius (cf. 31)

Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Flores an FLOJERE tibi tua nomina condant
 ambigo, sed flos es lectus et ingenuus,
 Flores nam doctrina, et flores moribus aptis

- Piéridum flores floribus egregiis
5 Namque renunciat en te clarus Apollo Magistrum
 Hoc pulchro florens, flore, Magister ova.
Johannes S. Lidenius.
41. Adr: Daniel Flojerus – Aut: Nicolaus B. Hagenius (cf. 31) Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO
FLOJERE eximios inter numerande Magistros
Quid tibi pro meritis cantabo? haec accipe vota:
Sit Gradus iste tuus Jovae gratus patriaeque
proficuus, Tibi sit percommodus! hoc satis esto.
Dilectiss. suo Amico et Sympatriotae
adgratulatur
Nicolaus B. Hagenius,
Smoland.
42. Adr: Daniel Flojerus – Aut: Petrus Scherling (cf. 31) Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO
Praestans o FLOJERE tibi docta arte Magister,
Quod sis Virtutis tanto condignus honore,
Gratulor et patriae, et tibi, amicis sangvine junctis:
Opto tuisque Deus studiis benedicat abunde
5 *Vergere quo possint, in laudem cunctipotentis*
In Patriaeque bonum, tuum et emolumenta tuorum!
Quod bonus ille Deus faxit semper benedictus.
Petrus **Scherling** /
Jenecopia Svecus.
43. Adr: Daniel Flojerus – Aut: Henricus Platzman (cf. 31) Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO
Laurifer en merito laurum tibi Phaebus opimam
Insper et nomen tibi dat palmamque Magistri.
Vive, vigesce, vale, dignos nunc accipe honores,
Floresce et voveo Sophiae praecclare Magister.
Debiti honoris et faustae gratulationis
ergo l. mque apposuit
Henricus **Platzman** /
Svecus.
44. Adr: Daniel Flojerus – Aut: Sveno N. Alinus (cf. 31) Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO
Musa sibi pretium, doctrinae gloriā abunde
aeternum et sibi longa parat post secula nomen;
haec pietate gravem FLOJERUM extollit amicum,
aeternasque struit ventura in secula laudes;
5 *Laurea certa tuo capiti jam nectit Apollo,*
sic meritus tibi surgit honos; titulusque Magistri.
Astripotens faxit, tibi fauste haec omnia cedunt;
nec minus interea, patriam decorent tua facta,
hoc voto cludo, sis nomine reque Magister.
Faustae congratulationis E. haecce calamo
festinanti adjecit
Sveno N. Alinus.

45. Adr: Daniel Flojerus – Aut: Philippus Sebastiani Schmiedell (cf. 31) Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO
- Nunc igitur meritam capias mi Docte Magister
Messem, pro tantis exhibitis studiis:
Pierides quoniam psallunt modulamina laeta,
Cultorique suo carmina grata canunt.
5 Phoebus et imponet capiti de fronde coronam,
Et circum digitos aureus orbis eat.
Ergo te Phoebus tanto quod adornat honore
Gratulor ex animo, et pectore laetor ovans;
Opto diu vigeant virtus tua, laus tua, fama
10 Nominis; eveniant prospera quaeque tibi!*
- Sic animitus congratulatur
Philippus Sebastiani **Schmiedell.**
46. Adr: Daniel Flojerus – Aut: Olaus Iuncaeus (cf. 31) Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO
- Ecce bonam quam sit per pulchrum attingere metam
En pulchrum Clarus quod sedulitate Magister,
efficeris, doctis sic invigilasse camoenis
Te juvat o felix, tibi honor sit pectore laeto
5 Exopto! tandem dici consvesce Magister.*
- Amoris contestandi E. apposuit
OLAVS IVNCAEVS, Calm.
47. Adr: Daniel Flojerus – Aut: Andreas And. Dryander (cf. 31) Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO
- Fortis Eques veluti pendentem tangere cyclum
hasta qui norit, laeta Brabeia feret:
Sic Heliconiacis fortis luctator in arvis
FLOJERE Aoniis frondibus Ecce micas!
5 Accipis et dignos studio virtutis honores,
Clarus enim DANIEL tute Magister eris.
Sic doctrina viri, pietas, et candor in actis,
Emicat in titulis, tu quibus auctus ovas.
Nomine pro tanto tecum laetantur amici.
10 Et laudant sortem (quae satis ampla) tuam.
Inter et eximias laudes, tibi carmine laeto
quae mea mens agitat, solvere vota sine.
Ut felix vivas iterumque iterumque precabor.
qui bene cuncta regit, te regat ipse Deus.*
- L. mque reliquit congratulabundus
ANDREAS AND. DRYANDER.
48. Adr: Daniel Flojerus – Aut: Laurentius Vocenius (cf. 31) Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO
- Qui cupiat canis Venerabilis esse capillis
perfundet lymphis aoniis animum.
quod DANIEL vigili servasti pectore semper,
Cultus Apollo igitur nomina magna dabit.
5 Nam tibi pro meritis pulcro compensat honore*

qui nostris terris floreat et vireat.
 Pectore pergrato gratatur carmine musa,
 de tam praeclaris hisce tuis gradibus.
 Salve mi DANIEL, salve mi *clare Magister*,
 10 In pylios annos, vive vigeque diu.

Ita cum voto applaudet
 LAVRENTIVS VOCENIVS.

49. Adr: Haquinus Fredzbergius – Aut: Gabriel Elvering (Disputatio V. ordinaria de Scriptura sacra continens quaestionem de ejusdem divina efficacia, quae /.../ publicae disquisitioni subjicitur praeside Gabriele Elvering, /.../ in Academia Gustaviana respondente Haquino Fredzbergio, /.../ ad d. 22. Decembr. /.../. Dorpati Livonorum, 1654: J. Vogelius)

UUB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

Eximio Dn. Respondenti,
 Amico suo dilecto
 S. P.

*Felicem quicunque piis sacra sensibus haurit!
 Is sibi delicias quaerit, sibi gaudia poscit.
 In dubiis sibi certa parat solatia rebus.
 Haec animos curis solvunt, mala gaudia pellunt.
 Te quoque felicem studiis, HAQVINE, vocamus.
 Fundamenta locas artis rerumque sacrarum,
 Pullulat hinc studii divina scientia sacri,
 Sic potes esse DEI, sacrisque vacare, Minister.
 Perge modo, ut pergis, nec desere coepta, sed insta
 10 Egregiis ausis! sic hos DEUS ipse secundet.*

Testandae benevol. E.
 s.
 PRAESES.

50. Adr: Erlandus Jonae Hiärne – Aut: Gabriel Elvering (Lessus in /.../ beatum obitum ac abitum /.../ Erlandi Jonae Hiärne, Wermelandia Sveci, pastoris ac praepositi ecclesiae Neoviensis /.../ die V. Febr. anni MDCLIV. /.../ rebus humanis exempti: cuius exuviae in templo Neoviensi /.../ terrae d. <> Martij an. 1654. demandabantur. Ab amicis et condolentibus conscriptus. Dorpati Livonorum, 1654: J. Vogelius)

Linköping LB, [Tartu UB]
 EPICEDIUM

Dum, mi JERNE, Patri lugubria Carmina pang
 Sollicitas, prodit cura, dolorque tuus.
 Sed lachrymis satis esto datum, saevoque dolori:
 Namque ferenda, jubet quae tolerare Deus,
 5 Sic potius toleres, quicquid tolerare necesse est,
 Et cave displiceant, quae placuere DEO!

Testandae condolentiae sc.
 Gabriel Elvering
 SS. Th. Prof.

51. Adr: Erlandus Jonae Hiärne – Aut: Ericus Holstenius (cf. 50) Linköping LB, [Tartu UB]
 EPICEDIUM

*O Decus Ecclesiae, nitidissima Gloria Templi,
 Quid modo, JERNE, precor Manibus ipse tuis?
 Vera Salus animae, cineri requiesque relictis
 Solamen firmum sit precor et voveo!*

Quod inter Lacrymas animitus
vovebat
M. Ericus Holstenius
Prof. Ord.

52. Adr: Erlandus Jonae Hiärne – Aut: Petrus Lidenius (cf. 50) Linköping LB, [Tartu UB]
EPICEDIUM

*Ad beate defuncti Dn. Pastoris Filium, selectio-
rum studiorum cultorem laudatissimum.*

Mortuum ita anne Patrem reputas, doctissime **Hiärne?**

Non reputa: namque huic vita data est gemina:

Vivit enim terris fama celeberrimus, idem

Vivit et in coelis, vera ubi vita manet.

5 Orphanus haud quaquam es, duo namque Patres tibi amoeni

In Patria vivunt, conditor et genitor.

Ergo confide, et moestas depone querelas,

Coelestis te non deferet euge; Pater.

Animi aegritudinem Amico meo perdilecto ut leva-
rem corpore aeger scribebam
Petrus Lidenius

53. Adr: Erlandus Jonae Hiärne – Aut: Olaus Wexionius (cf. 50) Linköping LB, [Tartu UB]
EPITAPHIUM

Epitaphium.

ARCTIS CLAVSVM ESSE TERMINIS

HVMANAЕ VITAE SPATIVM,

NON SECVS AC OLIM

MONSTRAVIT SAPIENS

5 *IN ORBEM SE GYRANDO;*

TESTEM HEIC HABES

O HOSPES

DEVOTAE PIETATIS VIRVM,

*DN. ERLANDUM **HI ERNE/***

10 *QVI*

POSTQVAM ANNOS JVVENILES

IN MVSARVM PALAESTRA

EXEGISSET,

ET EX MERITO

15 *SACRIS ORDINIBVS INITIATVS,*

ECCLESIAM

NEOVIENSEM FIDELITER DOCVISSET

VERBA JEHOVAE

IN PROVECTAE AETATIS CVRSV

20 *DIE V. FEBR. AN. MDCLIV.*

CVM ANNOS LIX. NVMERASSET

PEDVM POSVIT:

EXVVIAS

HVIC MARMORI PREMENDAS TRADIDIT

ANIMAM

25

*SALVTIS AVTHORI REDDIDIT,
 INQVE COELESTEM PATRIAM TRANSMISIT,
 QVAM NOS EXEMPLQ EJVS
 ANHELO PECTORE
 PETEMVS:
 PROINDEQVE LVCTVM INTEREA
 MODERABIMVR
 ET SOLATIA
 EX VENTVRI AEVI DELICII
 QVAEREMVS.*

30

35

M. Olaus Wexionius,
 Pol. et Hist. Prof.

54. Adr: Erlandus Jonae Hiärne – Aut: Gudmundus Lidenius (cf. 50)

Linköping LB, [Tartu UB]
 EPICEDIUM

Tandem tute vale terris dixisti, et ad alta
 Conscendis Superum tecta, beate Senex,
 Inde superstibus dolor ingens, sed tibi magna
 Gaudia, quae nullus sat memorare potest.

Paucula haec apposuit
 M. Gudmundus Lidenius

55. Adr: Erlandus Jonae Hiärne – Aut: Olaus Nicolai Bergius (cf. 50)

Linköping LB, [Tartu UB]
 EPICEDIUM

*Pallida mors est certa, latet modus horaque mortis,
 Horaque jam praesens, addocet illud opus.
 Cogimur o omnes gelidam sic cernere mortem,
 Mortali nulli parcere morta cupid.
 Mens tamen in caelis vivit, corpusque quiescit
 In tumulo, donec Judicis hora venit.*

5

Condolenti animo apposuit
 Olaus Nicolai Bergius
 Phil. C.

56. Adr: Erlandus Jonae Hiärne – Aut: Samuel J. Förnbech (cf. 50)

Linköping LB, [Tartu UB]
 EPICEDIUM

Conquerar, an taceam? praesentia tempora moesta;
 Vivere nunc durum est! flebile posse mori.
 Inclinat lacrymisque replet nunc omnia mundus;
 Et subito casu, quae valuere ruunt.
 Hic dolor et fletus tristissimus occupat omnes;
 Ah! fragilis finis, principio similis.
 Praepositus praesens exemplum ponit ob oclos,¹⁷
 Dum pius ingenio, doctus et emoritur.
 Lugeat amissum civis nunc quisque fidelem,
 Pastorem; Patrem defleat orba domus.
 Sit Christus vobis solamen, in orbe relictis;
 Ille at in Angelico, vivat ovetque choro.

5

10

Haec condolentiae contestandae
 ergo apposuit

¹⁷ *oclos* pro *oculos* Li metri causa

Samuel J. Fö rnbech /
Westm. Svecus.

57. Adr: Erlandus Jonae Hiärne – Aut: Daniel Flojerus (cf. 50)

Linköping LB, [Tartu UB]
EPICEDIUM

*O Mors! o tristis! qua non est Tristius ullum!
Fallaci gressu, tu tremebunda venis!
Id Casus docuit nuper quam stabilis iste:
O immane nefas! ah dolor! ah lachrymae!*

Solatium:

5 *Quod Domino placuit, nobis meritoque placebit:
Quae Dominoque placent, haec bene cuncta cadunt.*

Impensissimi luctus contestandi
causa scripsit
Daniel Flojerus.

58. Adr: Erlandus Jonae Hiärne – Aut: Olaus Dalinus (cf. 50)

Linköping LB, [Tartu UB]
EPICEDIUM

Erlandus Jonae VVermelandus Praepositus
et Pastor Neoviensium:
Per Anagr.

En mors est janua vitae, porta piorum, saepe
in duello serenus, nudus.

Venit homo *Nudus* terra desumptus aprica
Illiū *En* iterum conteget ossa solum.

Divinus moritur, Mystas venerabilis arae,
Qui commissa sibi pectora salvificis
5 Dictis curavit, spargendo semina verbi
Coelestis, Christi vulnera, flagra loquens.

Vi vocis praestans et cultae flumine lingvae,
ERLANDUS JONAE, praeco Dei superi

Emoritur, summi tradens oracula Regis
10 Cui spinas inter ceu rosa verna viget:

Hinc poterit clarum Nomen delere vetustas
Nulla, sed hoc praestans tempus in omne manet.

Extinctum funus tu plange *Neovia* plange!
Prima sacerdotum gloria et Urbis honos,

15 Occidit ante diem Pastor tua stella coruscans,
Qui tibi nectarei jussa verenda Dei

Monstravit docte jam morte rapace jacebit
Extinctum funus plangite solliciti.

Sed melius maculas animis extergere tristes!
20 Quam lacrymis madidas semper habere genas.

Janua nam *Vitae Mors est et Porta piorum*
Quaque fruetur ovans mente *serenus* homo

Nonnulli ducunt *in Mortis saepe duello*
Quorum continue pectora moesta fremunt.

25 Pastor at hic Mundum placida cum morte reliquit

Dixit Discedens, hospita terra vale.
 Felix o nimium felix novus incola coeli
 Cujus et est capitis pacta corona poli.
 Hinc Lacrymas oculis vestris prohibete tepentes
 Liberi et agnati, tu vidua atque pia.
 En viget ERLANDUS ludens ubi dulcia tempe
 Mulcet et Elysius aura beata rosas.

Condol. animo celeri crena app.
 Olaus Dalinus,
 W-Gothia Svec.

59. Adr: Erlandus Jonae Hiärne – Aut: Nicolaus Garfluvius (cf. 50) Linköping LB, [Tartu UB]
 EPITAPHIUM
Epitaphium.

*Hic ego Pastor, Oves qui pavi dogmate sacro,
 Obllectansque pia dexteritate, meas:
 Extinctus jaceo tollens ad sydera vultum,
 Atque diem summum respicio ipse meum.
 Tunc terra surgam, fulgens splendore perenni,
 Haec mea praemia sunt, sangvine parta Dei.*

Condolentiae ergo app.
 Nicolaus Garfluvius,
 Arbogia-Westm.

60. Adr: Erlandus Jonae Hiärne – Aut: Andreas Kyander (cf. 50) Linköping LB, [Tartu UB]
 EPICEDIUM
Ultimus sermo Rev. Dn. Defuncti.

Vixi et coelestis Patris constanter honorem
 Ex puris verbi fontibus asserui.
 Nunc igitur laetus, Christum me ad se revocantem
 Subsequor, et cunctis ultima vota dabo.
 5 Vive, vale, Conjunx, charique valete Nepotes
 Posteritasque Deum tu mea rite cole,
 Optime, tu serva Patriam, liberosque Redemptor
 Quodque relinquo tibi, Pastor Ovile tuum.

Hisce exiguis suum Reverendum Dn. Affinem
 maesto animo prosequitur
 Andreas Kyander.

61. Adr: Erlandus Jonae Hiärne – Aut: Micahel Wannius (cf. 50) Linköping LB, [Tartu UB]
 EPICEDIUM
Pie Defunctus.

*Instruxi multos studio, summoque labore
 Multis protuleram jussa verenda Dei.
 Sed veluti metam cuncti properamus ad unam,
 Non mihi ob id quidquam parcere fata volunt.
 5 Te post me linquo Sociatam foedere lecti:
 Vosque meos natos: Vivite quaeso pie.
 Me non amissum sed praemissum esse putate:*

Qua propter lachrymas fundere desinite.

In solatium maestiss. relictorum
tristi crena fudit
Michaël Wannius.

62. Adr: Erlandus Jonae Hiärne – Aut: Erlandus Erlandi Hiärne (cf. 50) Linköping LB, [Tartu UB]
EPICEDIUM

Heu! cito luctus adest mihi! charus sangvinis author

Fato decessit, Spes mea, Vita, Decus.

O grave vulnus!

Indulget lachrymis *Mater* viduata Marito,

5 Quae quoque nunc solo sola relicta toro.

Sors inimica!

Fundimus et gemitus spoliati qui *Genitore*:

Quid juvat ast fletus; porrige Christe manus

Summe Patron!

10 Ulterius lachrymae perfundentes mihi vultum

Scribere me prohibent: Hisce vale *Genitor*.

Adsis Iësu!

Flens haecce fundeb.
Erlandus Erlandi **Hiärne** /
pie Def. Filius.

63. Adr: Erlandus Jonae Hiärne et Magnus Duraeus – Aut: Andreas Flojerus (Solatium coelicum Himmelsk
Tröst Aff then 91. Konungh Dawids Psalms 14. 15. 16. Verser Framstält åhr 1654. then 3. Martij. Tå /.../
Erlandus Jonae Hiärne Wermlandia-Svecus, Prowest och Kyrckioherde i Nyens Stadh, i Ingermanlandh,
/.../ ther sammestädes bleff begraafuen aff Magno Duraeo, Eccl. Neov. Comm. Dorpt, 1654: J. Vogel)

SKB, EAB, [Tartu UB]

EPICEDIUM

Honori,

Duorum in vinea DOMINI fidelissimorum

operariorum:

Unius jam sancte defuncti; *Alterius* vero labores
vocationis naviter exantlantis.

Servus ut iste bonus lucratus rite talentis

Est: ita et ERLANDVS, foenore in eximio,

Hiärne / *talenta sua exposuit; laetusque proinde*

Intravit DOMINI gaudia magna sui.

5 *Sic quoque Tu DVRAEE facis: pergas pede fausto*

Vt coepisti, eadem gaudia teque manent,

Nec non post obitum, Te gloria lausque manebit,

Laus manet in terris, gloria in arce Poli.

Scriptis

M. Andreas Flojerus,
Sch. Neoviensis Rect.

64. Adr: Erlandus Jonae Hiärne et Magnus Duraeus – Aut: Zacharias Austrelius (cf. 63)

SKB, EAB, [Tartu UB]
EPICEDIUM

Vita qui populo Solers et voce praeivit,

Qua ratione DEUS, quave colendus Homo;

Funere mersus obit, Praestans ERLANDUS IONAE.

Quam saevum imperium mors truculenta tuum!

5 Tu facis, ut careat Pastore Ecclesia fido,
 Collegamque Sacer lugeat ordo virum.
Tu facis ut plangat proles orbata parente
 Conjugis et conjux fata inopina freat.
Ast hoc solatur, fuit haec divina voluntas:
10 Illi nec quidquam fata nocere queunt.
Spiritus en! coeli per semper florida Tempe,
 Coelitibus mistus, gaudia mille capit.

Condolenti animo celeri crena
adposuit
Zacharias Austrelius,
O-Gothus.

65. Adr: Simon Theodori Hodensius – Aut: Petrus Lidenius (Disputatio III. ordinaria de Scriptura sacra continens quaestionem de usu principiorum rationis, quam /.../ praeside Gabriele Elvering, /.../ in Academia Gustaviana /.../ publicae disquisitioni subjicit Simon Theodori Hodensius, /.../ ad d. < > Aprilis, /.../. Dorpati Livonorum, 1654: J. Vogelius)

SKB, UUB, Växjö LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Qvi nimium in rebus Divinis dat rationi,
Is demit verbo salvifco nimium.
Et qui plane nil tribuit rationi in iisdem,
Is statuit brutum, non hominem, esse hominem.
5 Hoc ergo medium nostri tenuere beati
Doctores, hic quod, Sympatriota, tenes,
Asseris et quod sub praeclaro Praeside; Laudem
atque decus paries sic aliquando Tibi.*

Praestantissimo Dn. Respondenti, populari
amico et p.t. Auditori suo dilectissimo,

ita gratulatur

Petrus Lidenius, Philos. M. et P.P.
R. Fac. Theol. Adjunct. et Coll. Philos.
p.t. Decanus.

66. Adr: Benedictus Anderae Humble – Aut: Petrus S. Lidenius (Disputatio ethica de magnanimitate et modestia, quam sub praesidio /.../ Petri S. Lidenii, /.../ publicae /.../ ventilationi committit Benedictus Andreea Humble, /.../ ad diem < > an. 1654. /.../. Dorpati Liv., 1654: J. Vogel)

SKB, Växjö LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Praestantissimo egregiisque studiis addictissimo
Juveni,
Dn. Benedicto A. **Humble**/ Smolandia-Go-
tho, Populari, Amico et p.t. Auditori suo longe
dilectissimo.*

*Omnis honor onus est; onus est etiam esse in honorus
Pulchrum onus at prius est; turpeque posterius.*

*Ergo prius recte succollandum, ut decet esse,
Hoc discursu, mi Sympatriota, doces.*

5 *Quis nam ergo dubitat, quin pulchro dignus honore
Sis? Patriae et fias lux peramoena tuae?*

Ita Lmque adgrat. PRAESES.

67. Adr: Andreas G. Kyander – Aut: Olaus Wexionius (De virtute morali in genere, discursus ethicus. Quem in Academia /.../ Gustaviana sub directione /.../ Petri S. Lidenii, /.../ placido /.../ examini submittit Andreas G. Kyander, /.../ ad <> Maji anni /.../ 1654. /.../. Dorpati, <1654>; J. Vogelius)

Växjö LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Quae natura siet Virtutis dicere multi
Tentarunt multis Philosophi celebres;
Quorum vel sequeris vel pulchris passibus aequas
Conamen; Virtus quam placet ut doceas!*

Praeclarae indolis juveni, doctissimo Dn. Respondenti
ita paucis appludebat
M. OLAUS WEXIONIUS, Polit. et Hist.
Prof. Publ.

68. Adr: Laurentius Ludenius – Aut: Zacharias Klingius (Propemptica in /.../ patriam coelestem migrationem, /.../ Laurentii Ludenii, philos. et J.U. doctoris /.../ poëtae laureati et philologi /.../ professorisque primum in Gryphiswaldensi, postmodum in Gustaviana Dorpatensi Academiis /.../ nec non bibliothecarij regij, /.../ qui an. M.DCLIV. XXI. Aprilis, aetatis suae LXII. in Christo /.../ obiit, Dorpati, XXX. ejusdem mensis die, in templo cathedrali /.../ sepultus. Ab amicis, collegis, aliisque /.../ scripta. Dorpati, <1654>; J. Vogel)

SKB, Linköping LB, H, [Tartu UB]

EPICEDIUM

PIE VIVENTIS ET PIE MORIENTIS
D. LUDENII EPITAPHIUM.

*In CHRISTO dormit CELEBRIS LUDENIUS olim
Annos quam plures qui vixit, quique LABORES
Sustinuit MULTOS, Summa cum LAUDE Superstes!
Multus tulus, laetus quod sic PATIENTIA VINCAT!
5 Pacis totus erat, Pacem veneratus amantes:
Nec non CANDORIS totus, simul et PIETATIS!
Letho sublatu licet is vitale reliquit
Lumen, at intravit melioris lumina VITAE:
Appulit ad veram Portam, Portumque SALUTIS!*

In perpetuam perquam Laudabilis
Viri memoriam

f.

Zacharias Klingius, SS. Th. D.
per Livoniam Superint. et Reg. Acad.
Dorpat V. Cancellarius.

69. Adr: Laurentius Ludenius – Aut: Andreas Virginius (cf. 68)

SKB, Linköping LB, H, [Tartu UB]
EPICEDIUM

DOCTOR LUDENIUS multos praecelluit arte,
Functus et est jugis munere rite suo.
Ergo dignus erat, longam qui duceret auram,
At placeat nobis, quod modo fata jubent!
5 Terra fovet gremio, quod erat mortale, benigno;
Inque sinu Christi Mens pia semper ovat.
Hic vitae in studio scopus est, haec meta laborum;
Quisquis ad hanc cursum dirigit, ille sapit.

Sic Viro p. m. Consultissimo et Excellentissimo
Dn. D. Ludenio amico et Collegae suo plur.
honorando justo persolvere voluit
Andreas Virginius, D.

et P.P.

70. Adr: Laurentius Ludenius – Aut: Gabriel Elvering (cf. 68) SKB, Linköping LB, H, [Tartu UB]
EPICEDIUM

*LVDENI, quis non justos meditetur honores
Spectatis meritis, quae nostra Academia sensit?
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.
Doctor eras celebris Sophiae, clarusque Poëta
5 Virtutis monumenta tuae solidamque gemelli
Notitiam juris te decedente canemus!
Nunc tandem senio fessus multoque labore
Oppetis; ast moriens animam committis Iövae;
Corporis exuvias terrae cineresque relinquis.
10 Orbis ad interitum pars haec ac illa quiescat:
Sed tandem suprema dies utramque ligabit.
Sic tua mors non mors, sed iter quod dicit ad illam
Aeternam Patriam, quae meta suprema malorum,
Quae nos fixa manet, quorsum nos tendimus omnes.*

In honorem Consultissimi Dn. Collegae ad
meliores translati deproperabat
M. Gabriel Elvering.

71. Adr: Laurentius Ludenius – Aut: Heinricus Hein (cf. 68) SKB, Linköping LB, H, [Tartu UB]
EPICEDIUM

*Aethera dum scandit meritis venerandus et annis
LUDENIUS, Sophiae Mysta, Dicaeque decus,
Musarum lumen, coetus primaria docti
Gloria, Dorptensis pulchra corona Scholae,
5 Cui Pietas, cathedrae Rostra et prudentia rerum
Sciverunt ullum vix reperire parem:
Ingentem passa est, heu nostra Academia cladem
Et modo flet sortis tristia damna suae.
Avertat Deus afflito graviora Lycae,
10 Cui cura est populi paxque salusque sui.*

Dn. Collegae, fraterno amore sibi devinctissimo,
luctu et desiderio plenus adp.
Heinrichus **Hein** / U.J.D.
Profess. Ord. et Dicasterij Regij
Adsessor.

72. Adr: Laurentius Ludenius – Aut: Sebastianus Wirdig (cf. 68) SKB, Linköping LB, H, [Tartu UB]
EPICEDIUM

*Tandem, tot studiis illustribus exantlatis,
CLARE VIR, in summo jam requiesce DEO.
In summo requiesce DEO, VIR CLARE, laborum
Annorumque satur, vive, quiesce, DEO.*

Sebastianus **Wirdig** / Med. D.
et P.P.

73. Adr: Laurentius Ludenius – Aut: Ericus Holstenius (cf. 68) SKB, Linköping LB, H, [Tartu UB]
EPICEDIUM

Plangite Pierides, Clario dicata Juventus

Luge, et tristitiae da nova signa tuae.
 Doctor LUDENIUS docti Decus Ordinis, Orbi
 Delicium, Phoebi Gloria, nunc obiit!
 5 Occubuit! viridi et tumulatur cespite terrae;
 At fama celebris, dum manet Orbis, erit.

Veri doloris contestandi, ultimique honoris pie defuncto
 exhibendi gratia haec posuit
 M. Ericus Holstenius,
 Hebr. et Graec. Ling. Profess.

74. Adr: Laurentius Ludenius – Aut: Ericus Lidenius (cf. 68)

SKB, Linköping LB, H, [Tartu UB]
EPICEDIUM*EPICEDION.*

Sta non nihil Viator, heic LUDENII
 MAGNI Cubile. Marmor hoc parvum capit
 magnum illud Orbis erudit et splendidum
 SYDUS. Vide! quam parvo is arctatur loco,
 5 qui lumine Eruditionis maximae
 Complevit universa Regna Europica.
 Imo Poli utram vis Domum pulcherrima
 qui nominis fama replevit: (*Numine*
sic annuente maximo) cuius Jubar
 10 ingentis eruditionis haec Loca,
 cumprimis illustravit annos plurimos.
 postquam Rosetum illud Megapolis, dehinc
 Almam Gryphiswaldum, ejus illustris, calor
 Splendorque Doctrinae, fovere cooperat,
 15 feliciterque suscitarat pectora
 multorum ibi, ad praecsla quaeque. En! occidit
 jam Sydus illud orbis erudit, ea
 perpulchra Fax Scholarum et hujus inclytum
 Lumen Lycae. O casus asper Literis!
 20 O Fata dura! Quis dabit LUDENIO
 Quemquam parem vena Pegasia? cui
 tam purus atque argenteus fluit Latex
 Sermonis Albani? Sed ista lege Nos
 accepimus Virum hunc Beatum, caetera
 25 qua Nobis heic caduca contingunt bona:
 ut nempe eo tandem careremus. Proin
 jam coelicus civis, LUDENI, facte, ave!
 et plurimum salve! tuoque gaudio
 Laetus fruiscere, o DECUS magnum Poli!
 30 suspiriis ingentibus quivis votet
 Temet sequi, quando Deus vocaverit!

Paucula haec Viri supra laudes immortabili
 memoriae litab.

M. PETRUS LIDENIUS, Log. et Ethicae P.P.
 R. Fac. Theol. Adjunctus et Colleg. Phil. p.t.Decanus.

75. Adr: Laurentius Ludenius – Aut: Olaus Wexionius (cf. 68)

SKB, Linköping LB, H, [Tartu UB]

Summus Vir *nostro vere admirabilis aevo.*
LVDENIVS, Themidos et Sophiae, ille, decus:
Quem jactare suum quondam Gryphosylva solebat,
Quem nuper Dorpat dixerat esse suum,
5 *Post exantlatos ingenti Laude labores*
Immensos mea quos dicere Musa nequit.
In Patriam revocante Deo, concessit, ut ampla
Praemia conciperet vitor in arce Poli!
Iccirco praesens queis est discessus acerbus,
10 *Solamen praebet, quod fruitur gemina,*
Heros ingenij, vita, nam tecta Sionis
Exciunt animam, hic sed pia fama manet.

Inscriptio Sepulchri.

15 *Hoc Marmore tegitur corpus,*
Magni Illius
DN. LAURENTII LUDENII
Juris consulti,
Philosophi,
Poëtae,
Oratoris
20 *et*
Philologi,
ad miraculum erudit;
Qui
cum Academias,
25 *Gryphswaldensem per annos XVII.*
Dorpatensem vero hanc continuos XX.
Professor Juris et Philosophiae
illustrasset,
Perplurimaque ingenij sui monumenta
30 *Posteritati consecrasset,*
Placide et in Domino
Die XXI. M. Aprilis AN. MDCLIV.
exspiravit.
Annos natus ferme LXII.
35 *Tu, qui haec legis, siste,*
et aeternitatem
cogita!

sc.

M. Olaus Wexionius,
Polit. et Hist. Prof.

76. Adr: Laurentius Ludenius – Aut: G. Lidenius (cf. 68)

SKB, Linköping LB, H, [Tartu UB]
EPICEDIUM

Dixisti pugnans: *Vincam mea fata precando,*
Jam vitor, Vici, dicere jure potes.

Ad beate Defuncti Symbolum alludens,
paucula haec appos.

77. Adr: Laurentius Ludenius – Aut: Andreas Windbergius (cf. 68) SKB, Linköping LB, H, [Tartu UB]
EPICEDIUM

Plangite BECCIADES, suffundite lumina rore,
 Castaque nunc palmis tundite corda Piis.
 Barbita ter clangant queritantia tresque sorores,
 Totaque Musarum lugeat alma cohors!
 5 Heu nimium propero nam funere raptus obivit
 LUDENIUS, Sophiae, Doctor et Eunomiae,
 Quem labor et pietas et flecti nescia Virtus,
 Candor et integritas inseruere peplo.
 Ille novenarum Decus immortale sororum,
 10 Laus Patriae, et nostri gloria summa chori,
 Sedulus hospitij per amoena rosaria vestri
 Lustravit, coluit vestra vireta frequens.
 Charus erat Musis vates: dulcedine mira
 Fundebat variis carmina bella metris.
 15 Omnibus is gratus, nulli gravis, omnibus idem
 Praestitit officij munera prompta sui.
 O fatum infelix, o Parcae haud laedere parcae!
 Sic rapitis dignum perpetue luce Virum?
 Sed fuit in fatis: Voluit Divina voluntas,
 20 Spes illi in Christo certa salutis erat.
 Ossa tegit tellus: coelo mens alta recepta est,
 In nostro et mundo fama superstes ovat.

In debitum honorem, ultimumque amoris monumentum Praecellentissimi Laurentij Ludenij Ph. et J.U.D. Celeberrimi, Historici versatissimi, Oratoris tersissimi, Poëtae lepidissimi, Theologi pientissimi, Senioris Venerandi, Praeceptoris quondam desideratissimi, haec suprema justa non sine Lacrymis persolvit
 Andreas Windbergius,
 Telga-Sudermannus.

78. Adr: Laurentius Ludenius – Aut: Olaus Dalinus (cf. 68) SKB, Linköping LB, H, [Tartu UB]
EPICEDIUM

Doctor Laurentius Ludenius Holsatus, Academiae Dorpatensis Professor quondam et Poëta Coronatus celeberrimus.

Per Anagr. et Acrostich. simul.
 Luctibus incedit Studiosa Juventus! pulsata flet, quaeso parcas,
 nonne addas de rore rosas, mors moerore hoc tempore.¹⁸

Enodatio.

Luctibus incedit Dorptae Studiosa Juventus,
Luctus adest, luctus copia larga Sonat!
A h querulo querulae, luctu procedite Musae,
U mbras namque pius cessit ad Elysias,

¹⁸ Anagramma non recte constructum

5 *Vir grege Pierio vere patris instar amandus*
 D e meritisque bonis innumerabilibus.
 R ore *debet merito suffundere lumina largo,*
 Et nae pullata nos redimire toga.
 E heu *luctus adest, Spectacula tristia cerno;*
 10 *Nam flet processu tota corona virum.*
 N onne *fuit quondam cedo lauriger ille Poëta?*
 I n tumulo recubans jam bene marmoreo
 T erra *petit corpus, vapor igneus aethera scandit,*
 V ult nam quodque suo semper inesse loco.
 15 *I ngemo nunc tristi funebria carmina metro*
 S. cribens, ex oculis decidat imber aquae.
 U t *Deus hoc nobis deflendo tempore parcas*
 D. E tenui quaeso, corde precorque meo.
 S. *ic moerore rosas tandem sine vivimus inter,*
 20 *A. ddas nosque tibi coelo ubi Mors aberit.*

Prosopopoeja pie defuncti ad viduam relictam
moeliss.

	Chara Marita
	Huncce perita
	Linque dolorem
	Propter amorem
25	Numinis almi;
	Ente Supremo
	Omnia remo
	Sic moderante
	Atque volente
30	Quis remoratur;
	Cedis; ita inquis:
	Terrea linquis
	Coelica anhelias
	Postque querelas
35	Gaudia vera
	Gaudia sumis
	Dissita fumis
	Dissita ventis
	Gaudia sentis
40	Tempus in omne;
	Ergo Maritae
	Dico Peritae
	Pergito mecum
	Sic ego tecum
45	Vivere possum;
	En sine cura
	Vita futura
	Est et amoena
	Haecce Serena
50	Tempore quovis;

Hic sine morte
 Vivito sorte
 Rite beata
 Atque parata
 55 Omne per aevum;
 Ecce caducis
 Degere fucis
 Non cupit ille
 Gaudia mille
 60 Qui sapit alta;
 Hic benedicti
 Patris amicti
 Vestibus estis
 En ero testis
 65 Semper in albis.
 Ah! dolor ingens
 Deficit haerens
 Dicere plura
 Vox peritura
 70 Ergo Valete.

Ad condolentiam contestandam haecce

DorpatI eX Crena tenVI ConsCrIpsIt OLAVS
 ACtlbVs aC trIstIs VIXerat ante DALINVS.¹⁹

79. Adr: Laurentius Ludenius – Aut: Erlandus Erl. Hiärne (cf. 68) SKB, Linköping LB, H, [Tartu UB]
EPICEDIUM

*Fvnus adornare hoc, cunctos Heliconis alumnos
 Carminis obsequio, Magnus Apollo jubet.
 Idque haud immerito, fuerat nam gloria Vatum;
 Dulce cui famae stat sine morte decus.*
 5 *Caesaris auspicio, de rupe bivertice Pindi,
 Musarum e manibus laurae serta merens.
 Finxit ab ingenio fluitantia carmina ludens,*
*Et quasi de Pharetra carmina culta bona
 Deprompsit. Liquidi eloquij gravissimus hicce,*
 10 *Velatus ramis Palladis, arte fuit.
 Aonium caetum prope bina decennia Dorptae
 Ingenue instruxit sedulitate sua.
 Ore, manu, vita cupiit prodesse cuivis,
 Innixus uni speque fideque DEO*
 15 *Cum decies senos geminosque peregerat annos,
 Conatu assiduo viribus aeger erat.
 Numinis imperio lumen vitale reliquit,
 Nunc vero aeternae gaudia pacis habet.*

Debiti obsequij ergo
Erlandus Erl.
Ingria Svecus.

¹⁹ Chronostichon annum 1654 exhibens

80. Adr: Johannes O. Luth – Aut: Gabriel Elvering (Sacris magisterii honoribus, quos /.../ decanus facultatis philosophicae /.../ Petrus S. Lidenius, log. et eth. professor ordinarius, ac /.../ SS. Theol. adjunct. /.../ in Regia Gustaviana Adolphina Academia, quae Dorpati /.../ est /.../ die XIV. Decemb. an. M.DC.LIV. publice /.../ conferebat /.../ Johanni O. Luth, /.../ seqq. carminibus applaudunt patres civesque academicici. Dorpati Livonorum, <1654>; J. Vogelius) Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Ad Eximum Virum
JOHANNEM LUTH,
Facult. Philos. Adjunctum.*

*Vndique circumstans me copia reddit egenum,
In laudes quando linteae pando tuas.
Optima spes Patriae, Mi LUTH nova fama Minervae,
Et nostrae fulgens gemma futura Scholae.
5 Judico si quicquam, me judice, digna capessis
Serta Magisterii, summa brabea Sophon.
Si dabis et sacris quod te confido daturum
Tantum olei, tanges culmina Theologiae
Perge ita paulatim et felici emergito cursu,
10 Gratia namque DEI plura brabea dabit!*

Gratul. scrib.
GABRIEL ELVERING,
S.S. Theol. P.P.

81. Adr: Johannes O. Luth – Aut: Ericus Holstenius (cf. 80) Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Mercurii Suboles Sophiae Praeclare Magister
JOHANNES, docti Fama Decusque Chori.
Vive novo felix Titulo, Patriaeque Tibique
Commoda fer gnarus, sicque Magis-ter eris.*

Ita Amico suo suavissimo gratulari
voluit
M. Ericus Holstenius, Hebr.
et Graec. Ling. Prof. Ord.

82. Adr: Johannes O. Luth – Aut: Olaus Wexionius (cf. 80) Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Doctrina clarus dum praemia clara reportas,
Quae meruit pridem (signa Magisterii).
Virtus et Pietas tua LUTHI, mi peramande:
Te voto tali prosequor: ac voveo.
5 Sit Patriaeque DEOque et cunctis gratus amicis,
Qui tibi confertur clare MAGISTER honos!*

sc.
M .Olaus Wexionius,
Polit. et Hist. Prof.

83. Adr: Johannes O. Luth – Aut: Andreas Hellenius (cf. 80) Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Eximie et Praestantissime Dn. Candidate
Fautor et Amice plurimum honorande,*

Tibi probe innotuit Musas famam dare perennem et

5 *manentem, sudantibusque in Arvo Thespiadum digna brabea conferre: Illi enim amplam divitiarum congeriem quaesiverunt, qui virtutibus et literis operam dederunt, ut sibi patriaeque commode prodesse possint. Haec cum non solum animo meditatus sis, sed etiam cacumina Musarum florentium ascenderis, te fama perennis, divitiae amplae et brabea digna manebunt, patriaeque utile membrum salutaberis; jam enim tempus adest in quo Phoebus Auricomus caput tuum Laurea corona cinget, et nomen tuum inter Doctorum nomina referet. Quapropter in honore isto cresce, et tempora longa vive valeque.*

10

Ita tuae Eximiae Praestantiae Novos
honores gratul.
Andreas Hellenius.

84. Adr: Johannes O. Luth – Aut: Andreas Windbergius (cf. 80)

Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Clare *JOHANNES LUTH*, magni en gestamen honoris,
Offert nunc merito Dorptica Musa tibi.
Exornant frontem Phoebaeae germina frondis,
At digitos aurum, pileolusque Comam.
5 Libris oblatis, ardenteque luce, Decani
Per vocem magna laude Magister ovas.
O felix nimium felix: Post funera vivet,
Et fulgebit honor nominis iste tuus;
Huic ergo grator lauro peramande Magister
10 Quam tibi virtutes progenuere tuae.
Gratulor et Patriae, Patriis Templisque Scholisque,
Ulnis quae excipient te pariterque suis.
Inter honoratos Clarum caput effer ad annos
Nestoris et felix incolumisque mane.

Sic Amico suo infucato, in debiti honoris et
fraternitatis recordationem, tenui Thalia
gratulabundus adplaudit
Andreas Windbergius,
Telga-Suderm.

85. Adr: Johannes O. Luth – Aut: Josias Josephi Fougdman (cf. 80)

Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Praemia Doctrinae, quae confert Dorptica Musa
Sympatriota Tibi, merito sunt digna labore.
Gratulor ex animo: nec non laetantur Amici,
Optatam studeas quod sic contingere metam,
5 Et nostram Patriam sic condecorare adamandam
Fido propterea nunc opto pectore, Christus
Vt studia et posthac tua semper prospera reddat.*

Quod in infucati amoris signum Sympatriotae suo dilect. app.
Josias Josephi **Fougdman**.

86. Adr: Johannes O. Luth – Aut: Ericus Holsteen (cf. 80)

Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Erat antiquis temporibus, et etiamnum haud raro se
prodit hominum genus, quod Augustam humanae mentis Antistitem,*

Philosophiam, ceu inutilem ac vanas otiosorum lucubrationes, ad san-
 nas atque odia ducentem condemnat. Sed quid his, quorum tam densa caeci-
 5 tatis caligine obductus est animus, aut si liberius loqui licet, mortalium ex-
 crementis, reponendum: Meum ego temere ingenium, quod nobili hoc studio
 nec adeo est politum, nec eidem unquam aspernatum, prostituere non allabo-
 ro, cum adeo sublime atque eximium reperi queat nihil, quod non e vesti-
 gio aut Theonino dente arrodat, aut nigro contumeliae sarcasmate conspuat
 10 malignitas: Prodeat Magnus orbis terror Alexander Macedo, qui plu-
 ra se Stagiritae suo, quam parenti Philippo debere fatetur, qui libos Ho-
 meri, supposito denudato cuspide, dormituriens penes se servavit: Prode-
 at Julius Caesar, Justinianus et alia quaeque cuiusvis seculi laudatissimorum
 15 Imperatorum et principum lumina, quae Philosophiae cognitione non minus
 quam Martiali virtute claruerunt. Cur tantum sibi gloriae Regiones et
 populi prae reliquis merito pollicentur, in quibus studium Philosophiae optime
 viget? Ecquis tot in toto fere orbis amphitheatro, multa per secula frustra
 fundatas conservatasque existimet Academias, quae Philosophiae studium mi-
 20 rifice expolitum posteritati reliquerunt? Aut quod est quod obnubilatas ho-
 minum vibrat mentes, et rerum admirabilium, quae in terris mundoque fiunt
 causas aperit? Philosophia. Quid herbarum, quid stirpium quid ani-
 mantium ortus, progressus, naturas, vires et utilitates perlustrat? Phi-
 losophia. Haec animum imbuit cognitione veri, haec vitam disponit. Actio-
 25 nes regit, agenda et omittenda demonstrat, sedet ad gubernaculum, et per
 ancipitia fluctuantum dirigit cursum; nec principes duntaxat nobilesve,
 sed ingeniosum quemvis ad sua sacraria admittit; Patricius Socrates non
 fuit, Celantes aquam traxit et rigandis hortulis manus locavit, Platonem
 non accepit nobilem Philosophia, sed fecit; Horum tu aemulus, Clare juve-
 30 nis, Divinam hanc scientiam spissis tibi laboribus ita peperisti, ne exiguos
 aetatis tuae annos, rara Eruditione praevenisse multum videaris: Non imme-
 rito itaque benigno Venerande Facultatis Philosophiae applausu, exantla-
 tis laudabiliter Regias ad constitutiones examinibus arduis, Publico Eru-
 ditionis testimonio et Laurea Magisteriali jamjam condecoraris. Hoc ic-
 35 circo, quod tua promeruit singularis Eruditio, in Gloriam D. O. M. Pa-
 triae emolumentum, laudem et decus nostrae Academiae, Parentum atque
 consangvineorum solatum, et Tui ipsius commodum, nobili praemio multos
 in annos sospes ut perfueraris, sincero corde voveo.

Tuus
ERICUS Golsteen.

87. Adr: Johannes O. Luth – Aut: Olaus Dalinus (cf. 80)

Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Carmina deberem plaudentibus edere Musis,
 Atque modis metricis cogere verba suis;
 Conspicuo juveni nam laurea sera parantur,
 Pulcris facta rosis, floribus ac variis:
 5 Cui sunt Pieridum felicia dona sororum,
 Aonii et nostri portio magna Chori.
 Carminis inventrix quoniam sed docta Minerva,
 Quae facit aeterno carmina grata DEO;
 In vatum renuit me doctum ponere censem
 10 Ingeniis quorum turba novena favent.

Carminibus laudes celebrent quibus adsit Apollo

Versus dum tentant ore movere suo.

Pro versu votum tacitum de corde repono

Sincero, paucis prospera cuncta precans:

15 *Felix ter faustus nunc IANNES arte Magister*

Vive valeque diu, quo tibi crescat honor.

VIVItō feLICI saLlVs sVb sIDere, CVnCta,

Aethera DiIffVgIant Ita, seCVLa, nIgra, VaLeto.²⁰

Praestantissimo Dn. JOHANNI LUTH, cum

Phaebaea Dorpati Livonorum co-
ronaretur, sincero ex animo exaravit

Olaus Dalinus, W-Gothia

Svecus.

88. Adr: Johannes O. Luth – Aut: Benedictus Nicolai Ekaeus (cf. 80)

Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Musarum decus et Sophiae praeclare Magister,

Gratulor Ingenium, non latuisse tuum:

Verum imberbem te Juvenem tantos ad honores,

Hac aetate tua quod vehit, in vegeta.

5 Proficui Tibi sint tanti, mi Fautor honores!

His DEUS optatis pondus inesse jube!

Χαῖρε διδάσκαλε τῆς σοφίας, καὶ φίλτατ' ἀδελφὲ,

Λάμβανε νῦν τιμὴν σοι μάλα εὐπερέπέα.

Sic debiti amoris et honoris ergo, Ma-
gisterio sui honorandi Fautoris gratu-
lari voluit
Benedictus Nicolai Ekaeus.

89. Adr: Johannes O. Luth – Aut: Detlaus Kölner Hindrichsson (cf. 80) Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Armi potens ut Mars subeuntibus aspera belli,

Offert Virtutis praemia grandia: sic

Piérides haud Cultores levioribus, almae,

Donis afficiunt muneribusque, suos.

5 *Strenue Musarum sectator, Clare JOHANNES*

Es LVTH, Exemplum non leve cumque aliis:

Te nam frondis honore ornant cinguntque corona;

Num Juveni id laus est? Ah Decus eximium!

Laudi perge sacris studiis hinc Cunctipotenti,

Vtilitati et, quae te genuit, Patriae.

Quid dicam! Genitores, quam gratantur Amici,

Tangere te metam, multa ferendo, bonam.

Dulcisono sileam nunc ore effundere laudes?

O Cognate tibi; qui unus ab his quoque sum,

10 *Ecce precor regat hinc conatus Rector Olympi*

Actus ac omnes rexit ut usque tuos.

Hisce paucis cognato suo dilectiss.
gratulabatur
Detlaus Kö Iner Hindrichsson.

²⁰ Chronostichon annum 1654 exhibens

90. Adr: Johannes O. Luth – Aut: Henricus Platzman (cf. 80)

Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Jammodo laeto
 Omine fertur
 Huicce Magistro
 Aonio nae
 5 Numinis aura,
 Nobilis atque
 Enthea laurus
 Sedulitate.
 Omine fausto,
 10 Laude perenni,
 Accipe honores,
 Jova secundet!
 Lauriger arte
 Usque vireto,
 15 Tuque faveto
 Haec properanti.

Ita amico infucato infucate
 cecinit
 Henricus **Platzman**
 Svecus.

91. Adr: Johannes O. Luth – Aut: Gustavus Erici (cf. 80)

Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Gratulor ex animo tibi nunc, Praeceptor amande
 Quod studiis tandem digna brabea feras:
 Hinc precor, eximii, qui jam tribuuntur, honores
 In laudem vergant Numinis ac Patriae.*

Paucis hisce Praeceptoris suo observ.
 de novis honoribus gratul. voluit
 Gustavus Erici Hedem.

92. Adr: Daniel Oeslovius – Aut: Gabriel Elvering (Justa /.../ Dn. Danieli Oeslovio, SS. Theol. et philosophiae, in alma Academia Dorpatensi studioso /.../ nec non Regiae ibidem Scholae collegae /.../ qui 12. Maji an. 1654. /.../ ex aerumnosa hac valle discessit; /.../ terreum autem ejus quod fuit, terrae matri in templo Mariano Dorpatensi /.../ commendatum est, ejusdem a praceptoribus et commilitonibus soluta. Dorpati Livonorum, <1654>; J. Vogelius)

Linköping LB, [Tartu UB (def)]
EPICEDIUM

5 *Horrida mors iterum fractis bacchatur habenis
 Et rapit ingenuum contumulatque Virum.
 Te quoque febris edax, Oeslovi, invadit et igne
 Ustulat. Heu nostrae flamma nociva Scholae!*
*Ingenium dederat praestans natura quod ipsum
 Ornavit probitas assiduusque labor.
 Optima quaeque manu rapit inclemensia mortis,
 Impletur numeris deteriora suis.
 Sed Te felicem, Daniel, quod ardua certam
 10 Cum morerere fide stravit ad astra viam.
 Nos quoque Te, Oeslovi, nec erit mora longa sequemur,
 Propitius si nos jusserit ire Deus.*

Ultimum defuncto honorem exhibitus fecit

M. Gabriel Elvering,
SS. Theol. Prof. Ordin.

93. Adr: Daniel Oeslovius – Aut: Ericus Holstenius (cf. 92)

Linköping LB, [Tartu UB (def)]
EPICEDIUM

*En jacet Mortis jaculo furentis
Ictus hic, primo melioris aevi
Flore, doctarum DANIEL sororum
pulchra propago.*

5 *Ille dum vixit pius atque promptus
Muneris partes obiit, probosque
Inter is luxit, velut inter astra
Luna, minora.
Sed DEO visum revocare justum,
10 Angelos inter locitare coelo et
Nunc fuit; moesti lachrymas proinde
Mittite tristes!*

Παραμυθίας ἐνεκα ἔθηκε.
M. Ericus Holstenius,
Hebr. et Graec. Ling. Profess.

94. Adr: Daniel Oeslovius – Aut: Petrus Lidenius (cf. 92)

Linköping LB, [Tartu UB (def)]
EPICEDIUM

Euge illum cursum, mihi quem fixit Deus ipse,
absolvi properans, optima metaque adest.

Certavique brevi, certamina, tempore, multa,
hostes devici multiplicesque meos.

5 Victor ovans igitur victricia pono trophyae,
in pacis requie degoque victor ovans.
Inque lucro posui mea quantulacunque talenta,
sic reddens Domino, quae dedit ipse mihi.
Ergo me servum, Dominus sua gaudia amoena
10 nunc intrare jubet, se finit atque frui.
Jo! me felicem! Jo! terque quaterque beatum!
enarret quisnam gaudia tanta mea?

hisce describendis τῷ νῦν ἐν ὄγιοις calamum
meum accommodavi

M. Petrus Lidenius, Smol.
Profess. publ. et Colleg. Phil.
Decanus.

95. Adr: Daniel Oeslovius – Aut: Olaus Wexionius (cf. 92)

Linköping LB, [Tartu UB (def)]
EPICEDIUM

*Dorpatum queritur, moeret Smolandica terra,
Oeslovium subito sic cecidisse suum.*

*Solatii moestis igitur quid promere fas est
Desinat ut questus mensque quieta siet?
5 Hic paucis dicam. Lector modo concipe mentem
Obtutum Lacrymis atque levato tuum;
Nam coelo Oeslovius noster maturus obibat
Quem canum virtus fecit et alma fides!*

sc.
M. Olaus Wexionius,

96. Adr: Daniel Oeslovius – Aut: Gamaliel Bergh (cf. 92)

Linköping LB, [Tartu UB (def)]
EPICEDIUM

Dum terrena virent Majano germine rura,
 Tu vireas coeli cespite sydere!
 Salve flos coeli! Salve tu german olympi!
 German olympiacum vive vireque diu.

Hisce exuvias Beatissimi sui conterranei
 prosequitur moerens
 Gamaliel **Bergh** /
 Past. ad D. Georgij.

97. Adr: Daniel Oeslovius – Aut: G. Lidenius (cf. 92)

Linköping LB, [Tartu UB (def)]
EPICEDIUM

Monstrarat quando Danieli Jova Prophetae,
Omnia quae secum mundi tractura ruinam
essent, mox inquit: Daniel charissime tandem
Tute cubile tuum tumulum intrato, requiemque
 5 *capta, exire queas redivivus ut inde dierum*
in fine, et laetus caelestia tecta subire.
Te Daniel, Dominus, mundo minitante ruinam,
jam quoque abire jubet, placidumque intrare cubile,
Donec erit tandem redivivus ut inde resurgens,
 10 *corpo juncto animae, subeas coelestia tecta.*

M. G. Lidenius.

98. Adr: Daniel Oeslovius – Aut: Olaus Bergius (cf. 92)

Linköping LB, [Tartu UB (def)]
EPICEDIUM

Praeteriere hodie tres hebdomades fere, abinde
 quo rexit cantum DANIEL OESLOVIUS, ast nunc
 proh dolor! ante oculos nostros jacet in libitina;
 unde videre licet, quanta inconstantia vitae,
 5 Humanae: Idcirco reverenter caelipotentem
 Supplicibus votis noctesque diesque rogemus,
 semper adesse velit nobis cum flamine sancto,
 quo tandem placide ex hoc orbe migrare queamus.

Condolenti animo apposuit
 Olaus Bergius
 Ph. C.

99. Adr: Daniel Oeslovius – Aut: Petrus Nicolai Virgander (cf. 92)

Linköping LB, [Tartu UB (def)]
EPICEDIUM

Nunc cadis, Oeslovi, miserandum et flebile corpus,
Candidiore mihi jure sodalitij
Qui fueras junctus! miserum me, Parca fidelem
Et Charum fratrem cui rapit ante diem!
 5 *Sic pietas, probitas, juvenis sic gratia, vultus,*
Mortem festinam flectere non potuit;
O mors crudelis; O cito tu rapis illum,
qui multos annos vivere dignus erat!
Sed quid multa queror, sedet en Oeslovius arce

10 *In superum laetus, gaudia mille capit;
 Salve ergo Daniel civis nove coelice salve,
 Salve iterum atque iterum perpetuoque Vale.*

Ultimi honoris et debitae condolentiae,
 contestandae E. scripsit
 Petrus Nicolai Virgander,
 Smolandia Svecus.

100. Adr: Daniel Oeslovius – Aut: Petrus Sporsoelius (cf. 92) Linköping LB, [Tartu UB (def)]
 EPICEDIUM

*Heu, heu! quam varios casus, quot dira pericla²¹
 Specto! nam lethi saevit ubique furor.
 Imperio cuius fortis non Simson abivit,
 Non Sapiens Salomon, nec Cyrus ille pius.
 5 Quem Juvenem Daniel sapiens in perfide princeps
 In Susis docuit numen amare Dei.
 Et magno domuit victimum satis agmine Craesum
 Assyriis tulerat, qui furibundus, opem
 Oeslovius Daniel nunc heu, popularis amandus
 10 Spe citius terram linquit et astra petit,
 Parte sui meliore petit stellantis moenia coeli,
 Terrea pars, terra matre tegenda jacet.
 Omnia sic fragili pendent mortalia casu,
 Et subito motu quae viguere ruunt.
 15 Sistite sed lacrimas querulos superate labores
 degit nam DANIEL noster in arce poli.
 Funus et exequias digno comitemur honore,
 Solventes socij debita justa, rogo.*

Inter lugentes app.
 Petrus Sporsoelius,
 Calm.

101. Adr: Daniel Oeslovius – Aut: Daniel Flojerus (cf. 92) Linköping LB, [Tartu UB (def)]
 EPICEDIUM

*Decurrunt ut aquae loca per declivia multum,
 Et cito veloci transitione fluunt:
 Sic Hominum subito cunctorum labitur aetas,
 Et transit praesens tempore vita brevi.
 5 Experientia sic fieri jam Comprobat ipsa,
 Horaque jam praesens, addocet illud opus.
 Mutarunt vitam instabilem cum morte beata
 Tres Studiosi sic, ante dies aliquot.
 Smolandi miseram Studiosi plangite sortem!
 10 plangite! Nam Cogit Parca rigare genas.
 Ante diem occubuit, violentia morteque caesus
 Oeslovius, charus Sympatriota meus,
 Corpus humo tegitur, vivit mens incola Coeli,
 Et Canit aeterno carmina grata DEO.*

Moestissimus scripsit
 Daniel Flojerus,

²¹ *pericla pro pericula* Li metri causa

102. Adr: Daniel Oeslovius – Aut: Simon Theodori Hodensius (cf. 92) Linköping LB, [Tartu UB (def)]
EPICEDIUM

*Jure ego nunc doleam Sincero orbatus amore,
 Oeslovij fidi, quem mihi Parca rapit,
 Me patriis oris vexit quando huc celer austus:
 Tu comes inque via mite levamen eras.
 5 Tuque dehinc Socius, frater, lepidusque Sodalis,
 Conjunctus studiis ut manus altera eras.
 Atque Sodalitij pars antiquissima nostri
 Non magis in terris! tu mihi talis eris!
 Fallunt vota viros! sunt inconstantia cuncta,
 10 Te sequerer: verum ut res modo fert faciam.
 Tu laetus fruitor coeli splendore corusco;
 Nos quos liquisti condimus exuvias!*

In ult. honorem sodalis sui, moestus
app.
Simon Theodori Hodensius.

103. Adr: Daniel Oeslovius – Aut: Johannes And. Dryander (cf. 92) Linköping LB, [Tartu UB (def)]
EPICEDIUM
HOMO.

*Expansam hanc Comoediam, tot actibus et Scenis post multam
 hominum memoriam adactam, nondum ad finem pertexuit
 Antiquus ille Comicus: Siste te igitur in alto illo, si vis O-
 lympo, mons querula, inspice mihi, Temporum, Regnorum,
 5 Mortalium denique consepta, Cladium Aphitheatra, tum quoconque
 oculos mentemque circumferas, advertes ad casum suspensa singula, et ut
 in domo male fulta, signa pluria ruinae; ubi vulnera doloris vix prius
 coiisse videas, quam de novo erumpant in hiatum! itane circulantur quo-
 tidie hae clades, et orbe quodam eunt per hunc orbem? In hac Comoedia,
 10 Anni Actus sunt, Dies Scenae; variis introducuntur Personae, ex variis
 circumcirca Terrarum et Temporum tuguriolis; vides namque Reges,
 Dominos, Servos; Tu cade, tu sta, tu impera, tu occultare, tu injuri-
 as fac, tu patiare, tu incendas ut Nobilis, tu Studiosus, tu Miles, tu
 Colonus etc. et eat hic rerum in se remeantum orbis, quamdiu erit ipse
 15 Orbis! Qui vero in hac Comoedia suas magis composite gesserant perso-
 nas, ut Comico chariores, propiores sunt Januae, per quam unicam, omni-
 bus tandem ad Coenam Agni immolati patet aditus. Sic stringatur aci-
 es in unum si libet; a fine incipias, ut cor summi illius Comici intimius
 introspicias, et de ludente in area verius judices! in hac area actibus
 20 multis, scenis plurimis, interfuit Beatissimus noster DANIEL
 OESLOVIUS, et tanta cum spectantium admiratione, ut nullus sit,
 qui non summo ejus tenetur desiderio! Verum ut boni est Comici semper
 linquere aculeos in animis spectatorum, quo attentiores se sistant, retrahendo,
 quod oculos eorum pavet plenus, animosque arrestos detinet altius;
 25 Sic in optimo dum erant res ejus positae cumque Doctissimi Studiosi, Vigi-
 lantissimi Collegae, amici omnium fidelissimi, personam egisset, e Sce-
 na decessit, tempore, quo annus non numerat jucundius ullum! Dum*

30 *corpus ejus (cum floribus et virgultis Majanis Templum Dorpatense Marianum in Festi Pentecostalis solennitatem ornabatur) Studiosi fratres et convictores, quibus in vita, ut et omnibus aliis aequus, et ad triste desiderium ubique fidelis exstitit, una tumulo inferunt: ut ejus jam emeriti corporis ossa, quem (ne referam fraterna studia, mihi et omnibus integra fide exhibita) ad pulpitum Collegam Ecclesiae sua voce soepius praeivisse memineram, molliter reponendo; mercedem quietam et Christiano dignam reportare, madidis oculis conspiciam miser, omni auro contra charo orbatus amico! Sed me erigit, quod anima in coelesti Pentecostis Coenaculo triumphat placidissime; Unde suspiria pono; et hujus vitae cedro dignant memoriam, ita summa brevitate, ad Aram immortalitatis in Templo Virtutum affigo, suus olim conversatione fraterna, jam re<c>ordinatione perpetua, tandem cum DEO meo, beatitudine aeterna, conjunctissimus*

35

40

Johannes And. Dryander

104. Adr: Daniel Oeslovius – Aut: Olaus Dalinus (cf. 92)

Linköping LB, [Tartu UB (def)]
EPICEDIUM

Defunctus ad Viatorem.

Siste viator iter, subitos gressusque retarda
Admoneo, tibi nil quit nocuisse mora.
En vegeto quandam florebam corpore laetus
Pierii ac castris, Marte probatus eram;
5 Numinis et metuens superi metuensque parentum,
Utraque ceu pietas postulat ecce sui!
Mors properata mihi disrupt licia vitae,
Nil profuit pietas obsequiumque mihi.
Vita beata tamen, me coelo, longa manebit
10 Hoc profuit pietas obsequiumque mihi.
Disce timere DEUM, simul et parere parenti,
Aeternaeque tibi regna salutis erunt.
Perge viator iter quo se tua semita flectit,
Evenit, restat, quod mihi morte, tibi.

Haecce lugenti animo
app.
Olaus Dalinus,
W-Gothia Svec.

105. Adr: Daniel Oeslovius – Aut: Johannes Lidenius (cf. 92)

Linköping LB, [Tartu UB (def)]
EPICEDIUM

*Sic dubios hominum casus nos cernimus omnes!
Sic agitant miras aspera fata vices!
Nunc emersus iter DANIEL quod restat eundum;
Quis scit quem nobis proximus ordo capit!*

App.
Johannes Lidenius.

106. Adr: Daniel Oeslovius – Aut: Petrus B. Tochelius (cf. 92)

Linköping LB, [Tartu UB (def)]
EPICEDIUM

*Plangite! Spes Patriae, Soboles nitidissima Phoebi
Discessit fratrum, deliciumque bonum!*

Rara fides hominis cunctis bene nota sepulti
Sincera famae nomina digna feret.

- 5 Cum te fata volunt pulchra redimire corona
Vive DEO laetus! fama superstes erit!

sc.

Petrus B. Tochelius.

107. Adr: Daniel Oeslovius – Aut: Zacharias Colliander (cf. 92) Linköping LB, [Tartu UB (def)]
EPICEDIUM

*OESLOVII exuvias mersit mors invida terris,
Nixa fides animam, vixit ad astra DEO,
Quae capit Abrami in gremio secura quietem,
Dum migrat positas rursus in exuvias.
5 Vere obiit raptus, non vere raptus: abivit
Ut vere aeterno laetior huc redeat.
Hoc tumulo charos, juxta jacet ille sodales
Vnica qui viduae spes genitricis erat.
Sed bene habet namque est factus coeli novus hospes,
10 Exultat ubi ovans atque DEO fruitur.*

In piam memoriam convictori,
affini et fratri suo jucundissimo
haecce moestiss. reliquit
Zacharias Colliander.

108. Adr: Daniel Oeslovius – Aut: Petrus Liung (cf. 92) Linköping LB, [Tartu UB (def)]
EPICEDIUM

Qvi Studiosorum ceu splendida stella cohortem
Ornavit nuper DANIEL, en obiit!
Cui modo vernavit vitae florentior aetas.
Ver agit in Coelis perpetuum atque viget.

Petrus **Liung.**

109. Adr: Daniel Oeslovius – Aut: Erlandus Hiärne (cf. 92) Linköping LB, [Tartu UB (def)]
EPICEDIUM

*Divino Auspicio Nova et Ille En Lampas Olympi Est
Sic Laetatur Ovans ac Vult Ibi Vivere Semper.*

Tristissimus scripsit
Erlandus **Hiärne.**

110. Adr: Daniel Oeslovius – Aut: Georgius Hoffmann (cf. 92) Linköping LB, [Tartu UB (def)]
EPICEDIUM

Daniel Oeslovius *tumulo tumulatur in isthoc,*
Qui dante vixit dignus amore fuit.
Jam vita in coelo fruitur, vereque beatus
<vir> in aeternos absque dolore dies.

Haec condolentia E.
app.
Georgius Hoffmannus
Smalandus.

111. Adr: Daniel Oeslovius – Aut: Nicolaus B. Hagenius (cf. 92) Linköping LB, [Tartu UB (def)]
EPICEDIUM

Quatuor sunt causae quas nos perpendere fas est,

Forma et materia, hinc finis et efficiens.
 Forma quid est hominis, nisi mens mala, vana voluntas?
 Principium quodnam Materiale? Nihil.
 5 Materiam cum forma igitur ne suspice; Solus
 Finis et efficiens respiciendus erit.

Nicol. B. Hagenio.

112. Adr: Daniel Oeslovius – Aut: Andreas Almelinus (cf. 92) Linköping LB, [Tartu UB (def)]
 EPICEDIUM

	<i>D esistant igitur Mea fata dolere camoen</i>	AE
	<i>A spicio miris Astra notata modi</i>	S!
	<i>N unc mihi pro tristi Gemitu pia jubila Coe</i>	LO!
	<i>I nque pater blando Nos tenet ipse sin</i>	U!
5	<i>E ia vale mente, en Iam celsa cacumina coel</i>	I
	<i>L ustro; Laudo DEUM, qui sine fine bon</i>	US!
		Quod inter lachrymas scribebat Andreas Almelinus.

113. Adr: Daniel Oeslovius – Aut: Benedictus Andreae Humble (cf. 92) Linköping LB, [Tartu UB (def)]
 EPICEDIUM

	<i>D um te noluerant in terris vivere parc</i>	AE
	<i>A ccepit palma cum meliore Deu</i>	S
	<i>N uminis et summi nunc splendens ante tribuna</i>	L
	<i>I n coelo acceptus coelicolumque Chor</i>	O.
5	<i>E xuviasque tuas volumus nos condere vi</i>	VI
	<i>L aude feret famam postea quisque bon</i>	US.

*SiC ego quiI quonDaM te convictore fruebar
Aspera fata doLens, solVere justa volo.²²*

Benedictus Andreae Humble

114. Adr: Daniel Oeslovius – Aut: Philippus Schmidel (cf. 92) Linköping LB, [Tartu UB (def)]
 EPICEDIUM

	<i>Quid canet in gemitu, quid proferet et mea Musa</i>	
	<i>Cum te mors Daniel praecoce falce rapit!</i>	
	<i>Hoc ego quid videram lacrimans Epicedia canto</i>	
	<i>Sed nil sunt lessus, nilque juvat lacrimae!</i>	
5	<i>Gratulor ast tantos fratri contingere honores,</i>	
	<i>Quos illaesha hominum lumina nulla ferant.</i>	
	<i>Nosque aliquando etiam Dominus sociabit amantes,</i>	
	<i>Et <secla> faciet prosperitate frui.</i>	

Philippus Schmidel.

115. Adr: Daniel Oeslovius – Aut: Sueno Alinus (cf. 92) Linköping LB, [Tartu UB (def)]
 EPICEDIUM

*<...> petis coelos, vernant quando omnia terris;
<Per>petuum degas ver Paradisiacum.*

sc.
Sueno Alinus,
Smol.

²² Chronodistichon annum MDCLIV exhibens

116. Adr: Daniel Oeslovius – Aut: Olaus Juncaeus (cf. 92) Linköping LB, [Tartu UB (def)]
EPICEDIUM
- In terris mihi nulla quies, ast irrequieto,
Jactabar valde terribilique mari.
Hic sed ago vere vernantia tempora vitae,
Atque meum cingunt florida sertा caput.
5 Hic hic cuncta virent, hic hic nova temporis aetas,
Hic hic lucescunt tempora laeta poli.
Et cumque post mortem, nos tali vita fruamur
<...> lacrimas idcirco omnes patriotae.²³*
- Festinante calamo
scripsit
Olaus Juncaeus,
Calmariensis.
117. Adr: Daniel Oeslovius – Aut: Anonymus (cf. 92) Linköping LB, [Tartu UB (def)]
EPICEDIUM
- Fluminis, ecce hominis cita vita resolvitur instar
Flumen, amare mare ut; sic petimusque mori
Ortu <...>²⁴
118. Adr: Petrus Laurentij Arbogensis – Aut: Gabriel Elvering (Sacrī magisterii honoribus, quos /.../ decanus facultatis philosophicae /.../ Petrus S. Lidenius, log. et eth. professor ordinarius, ac /.../ SS. Theol. adjunct. /.../ in Regia Gustaviana Adolphina Academia, quae Dorpati /.../ est /.../ die XIV. Decemb. an. M.DC.LIV publice /.../ conferebat /.../ Petro Laur. Arbogensi, /.../ seqq. carminibus applaudunt patres civesque academicī. Dorpati Livonorum, 1654>; J. Vogelius) H, [Tartu UB]
GRATULATIO
- Praestantissimo Viro
PETRO ARBOGENSI.*
- Hactenus ingenuas mentem formare per artes
Ac vigili tentare manu, quae forte Sophorum
Phoebus Aristoteles Genij monumenta reliquit.
Te Praeceptores viderunt tempore longo.
5 Nunc palمام Tibi, Victor, habe, monumenta labore
Accipe digna tuo, Sophiae cape latus honores.
Et nunc et quondam praestans lucrabere nomen.*
- Animitus gratulatur
Gabriel Elvering,
P.P.
119. Adr: Petrus Laurentij Arbogensis – Aut: Ericus Holstenius (cf. 118) H, [Tartu UB]
GRATULATIO
- In terris celsum, nunc Marte vel Arte paratur
Nomen, et est celebris Martis et Artis honos.
Martis ament nomen Bellonae dedita corda,
PETRE sed Arte tibi gloria parta placet.
5 Quod placet ecce datur, dum diceris Arte Magister,
In Mundo et docta clarus ab Arte clues.*

²³ Hexameter loco pentametri, fortasse aliquot versus transiti sunt

²⁴ Finis deest.

*Sit quaeſo faustum tibi nomen ab Arte paratum,
Et vivas Patriae clarus ab Arte, tuae.*

In felix omen gratulab.

apposuit

M. ERICUS HOLSTENIUS,
Heb. et Gr. Ling. Prof. Ord.

120. Adr: Petrus Laurentij Arbogensis – Aut: Petrus Lidenius (cf. 118)

H, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Artis utrum vel Martis honor, multi dubitarunt
praecellat? Dico: Laus sua utrumque manet.
Hostes debellat Mars externos, populosque
Subjugat: Ars mores subjugat indomitos*

5 Fortior est qui se quam qui fortissima vincit
Moenia nec virtus altius ire potest
*Dixere Antiqui: quicquid sit: non minor est laus
Artis quam Martis quilibet ingenuus*

10 *Dicit. Non igitur Te, perdocte ARBOGIENSIS
quod sis sectatus Castra Heliconiadum
Jam piget: Ecce Tibi pulcerrima laurea sertam
Ipsa parat Pallas, signa Magisterij
Artis honos sic Teque manet nomenque decusque
sint haec fausta Tibi! Macte Magister ova!*

Occupatissimus sed lubens ex animo
adgratulor

M. P. LIDENIUS,
P.P. et h. t. Decanus.

121. Adr: Petrus Laurentij Arbogensis – Aut: Olaus Wexionius (cf. 118)

H, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Fortiter ut miles pugnans, qui strinxerit ensem,
Virtutis testem fulgentem soepe coronam
Loetus ovansque referre solet; sic Palladis arma
Induerit quisquis, Musarum ductus amore:*

5 *Quo pugnet donec procul hinc pellatur ab illo,
stultitia et quaecunque nocens inscitia mentis;
Hic merito pulchra seraque coronide dignus,
Praeignavis cluit atque a Doctis magnus habetur.*

Talis qvum fueris vere pugil optime PETRE

10 *Nostris in castris jam magna laude recedis,
Egregius victor, clarus tituloque MAGISTRI.
Hoc igitur decus ut firmum siet atque perenne,
Concedat summus coeli terraeque Monarcha!*

L. Mque sc.
M. OLAUS WEXIONIUS,
Polit. et Hist. Prof.

122. Adr: Petrus Laurentij Arbogensis – Aut: G. Lidenius (cf. 118)

H, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Conspicitur portus, tibi jam dulcissime amice,
ducere in quem tuto jam potes ipse ratem,
Hoc fruere, et dulci requie fruere, optime PETRE,
Anchora et ad Petram sit tua fixa! vale.*

Amico meo sincere dilecto
appl.
M. G. Lidenius.

123. Adr: Petrus Laurentij Arbogensis – Aut: A(ndreas) M(egalinus) (cf. 118) H, [Tartu UB]
GRATULATIO
- Becciades Musae cordas pulsate sonantes
Laetitiae et magnae subito date signa Camoenae
Et nobis aderit Petrus Virtute Magister
Arbogiae natus quemque ornat pulchra corona
5 Quam meruit pietas ardens studiumque laboris
Continus dedit sudor genumque Minervae
Haec cernens laetor voveo et felicia quaevis
Laurigero nostro cui dignos grator honores.
- Hisce novo Dn. Candidato
Felicia quaevis optat
A. M. S.
124. Adr: Petrus Laurentij Arbogensis – Aut: Andreas Hellenius (cf. 118) H, [Tartu UB]
GRATULATIO
- Surgite nunc Musae laeta conscribite vena
Carmina, cum Pallas jam praemia digna datura est
Illi qui in castris Phoebi sudavit et adsit.
Vive Deo felix Doctissime PETRE Magister,
5 Sint precor et fausti tibi nunc qui dantur honores.*
- Ita animitus votet
Andreas Hellenius.
125. Adr: Petrus Laurentij Arbogensis – Aut: Petrus Sporsoelius (cf. 118) H, [Tartu UB]
GRATULATIO
- Laurea serta gerit praeclarus in arte *Magister*,
Dilectos sibi sic nam *Clarus Apollo coronat*
Gratulor ergo tibi, precor et felicia cuncta!
Et voveo vivas! felix in Nestoris annos!
- Fausta congratulationis E. haec pauca calamo festinante adjecit
Petrus Sporsoelius,
Calmaria-Goth.
126. Adr: Petrus Laurentij Arbogensis – Aut: Bartholdus Göös (cf. 118) H, [Tartu UB]
GRATULATIO
- Lux adest, nobis nova, jam *Sodales*,
Phoebus, ex alto nitidoque coelo
Quam foveat, *Clarae Charites et usque Gustavianis*.
5 Ecce procedunt vigiles earum
Atque cultores, *Sophiae venustae*,
Alma quae virtus meruit, per ampla
praemia portant.
Candidum, cerno simul hisce junctum,
10 Palladis magnum decus et Lycei,
PETRE, te, nostri, veneranda, cordis
portio Svavis.

Sic decet natum patrio Solo, sic
 Et juvat multum invigilasse Musis,
 15 Vincat ut tandem labor, en, laborem,
 Improbus, omnem.
 Gratulor gaudens, animo litante
 Vota, modo, ut ti, celebris Sacrique
 Nominis semper faveant, *Magister*,
 20 Omnia fausta.
 Jova Tu Summe hos benedic ab alto,
 Quos *PETRO* tradit meritos honores,
 Annulo, quos nunc notat et corusco,
 Magnus Apollo.
 25 Plura, sed, vestris tenerae Camoenae,
 Vota, per pulchris calamis canoris,
 Perbene instructis, mea nunc agrestis
 Vena relinquit.

Celeri calamo celeriter cecinit
 Bartholdus **Göös.**

127. Adr: Petrus Laurentij Arbogensis – Aut: Johannes Petraeus (s. 117)

H, [Tartu UB]
 GRATULATIO

Eximius labor est Aeternas cernere Musas,
Et juvat illarum candida castra sequi.
Hoc te Dorpaticum monstrat fecisse Lyceum,
Dum dat pro meritis Praemia PETRE tuis.
 5 *Lauro namque caput decorat Phoebeius Apollo,*
comprobat id cingens annulus et digitum.
Nomine dum clares, honor et florescat in aevum,
His tua sit terris Gloria, fama, decus.

L. Mque applausit
 Johannes Petraeus.

128. Adr: Petrus Laurentij Arbogensis – Aut: Carolus G. Agrarius (cf. 118)

H, [Tartu UB]
 GRATULATIO

Gratulor ex animo tibi Sympatriota, perenne
Musarum nomen doctus Apollo dedit.
Insuper et voveo Patriaeque mihique subinde
Atque tibi prosit Nomen. Et hisce Vale.

Ita Sympatriotae suo per dilecto
 gratulabatur
 Carolus G. Agrarius,
 Westman. Svec.

129. Adr: Rotgerus Pröbsting – Aut: Petrus Lidenius (Justa /.../ Rotgero Pröbsting, ecclesia Lemsellensis
 pastori /.../ consistoriique inferioris circuli Rigensis assessori /.../ qui an. Ch. <1594> in /.../ Riga natus,
 sacroque regenerationis Lavacro renatus, postquam /.../ ecclesiam /.../ per annos <31> /.../ docuerat, /.../ in
 Domino suo Jesu denatus, novusque qua animam Coelestis Patriae civis factus est an. 1653. <6> Septemb.
 cujusque terreum /.../ an. 1654. <28> Januar. commendatum est. /.../ persoluta ab Amicis Dorpatensibus.
 Dorpati Livonorum, 1654: J. Vogel)

Göttingen UB, [Tartu UB]

EPICEDIUM

Qvando Aaron, summus Mystes Dominique Sacerdos,
 sedulus eximum et Sacrosanctum munus obivit,
 jamque vale mundo dicturus erat moriendo,

sufficiendus ei investitur mox Eleazar
 5 Filius, eximiis donis minor haud Patre magno:
 Maximus ille Dei vates Divinus Elias
 Coelestem in patriam cum migraturus, Eidem,
 Sanctus, in officio sancto succedit Elisa,
 fungendique illo, donorum et dexteritatis
 10 portio, pae donis huic duplex cessit Eliae:
 Munus et hoc celebris PRÖBTINGUS cum Sacrosanctum
 fidus obivit, et ad metam provenit, Iova
 quam praefixerat, ad coelos transfertur, et illi
 Filius eximiis donis, quem Spiritus almus
 15 exornavit, qui Clarus Sophiaeque Magister
 non sine laude cluit, merito succedit. Amaenam
 qui nunc ergo habitas Patriam, PRÖBTINGE, Aaroni
 junctus Eliaeque, o gaude! fruere atque quiete!
 Junior interea tu mi PRÖBTINGE Elisaei
 20 atque Eleazaris donis fruere! optimus iste
 Spiritus illos qui rexit te dirigat, ut sis
 organon electum Christi et Coeleste ad Ovile
 permultis praeas et perduces praeendo!

Supremo sic honore beate Defunctum Venerandum Dn.
 Pastorem Patrem pioque voto laudatissime Patrizan-
 tem Rev. et Cl. Dn. Magistrum Filium, non ne
 volui sed ut pae meditationibus et occupatio-
 nibus aliis potui L. mque prosequabar
 M. PETRUS LIDENIUS,
 Log. et Eth. Prof. P. Facult. Theol.
 Adjunctus, Philosophiaeque Facult.
 p.t. DECANUS.

130. Adr: Rotgerus Pröbsting – Aut: Olaus Wexionius (cf. 129)

Göttingen UB, [Tartu UB]
EPICEDIUM

LEMSIACAS qui fidus oves PRÖBTINGIUS olim
 Pavit et ad coeli traxit amoena loca;
 Praemia nunc Sacri Clarus capit ille laboris,
 RÖTGERUS supera Civis in arce *novus!*

Piis Manibus, plurimum Reverendi quondam, nunc
 beate Defuncti, Pastoris et Adsessoris, pau-
 cula haec, inter occupationes, tumultua-
 ria brevitate dicavit
 M. OLAUS WEXIONIUS,
 Polit. et Hist. Professor.

131. Adr: Rotgerus Pröbsting – Aut: Arnoldus Mahlstedt (cf. 129)

Göttingen UB, [Tartu UB]
EPICEDIUM

Est caro nostra cinis, modo principium modo finis,
post miserum funus, pulvis et umbra sumus.

1.

**Das Wesen dieser Eitelkeit
 ist eine blosse Nichtigkeit/**

5 **sehr kurtz ist unser Leben!**

der schnellen-Jahre kleine Frist
 mit Angst und Noth beschwehet ist/
 mit Sorgen gantz umbgeben.

2.

10 Wie kalten Schnee vom Sonnen-Glanß
 zerschmelzet und vergehet gantz/
 so lauffen unsre Tage:
 Eh wir uns allhie recht versehn
 wir in dem schwartzen Grabe stehn.
 O weh der grosser plague!

3.

15 Kein Blitz so schnelle fehrt herein/
 kein Schatten kan so flüchtig seyn/
 als unsre Zeit vergehet:
 Ja O! wie bald zerbricht ein Glaß/
 also der Mensch ohn unterlaß
 20 in Fährlichkeiten stehet.

4.

25 Wie balde durch der Winde-Krafft
 die Blümlein werden hingerafft/
 wie Graß wird abgemehet:
 So scheust auff uns des Todes Pfeil/
 und würget uns in schneller Eil/
 das keiner ihm entgehet.

5.

30 Gleich wie der Nebel bald vergeht
 wann er der Sonnen Glantz empfeht/
 ja wie der Regenbogen
 gar bald verschwind/ so fährt auch hin
 aus unserm Leibe Geist und Sinn/
 gleich wie die Wasserwogen.

6.

35 Also hat müssen auch daran
 Herr Pröbsting/ O! der werthe Mann/
 bey noch zu frühen Zeiten:
 Da steht der schonen Kinder Schaar
 verlassen von dem Vater gar/
 und fast auff allen Seiten.

7.

40 Die fromme Mutter ist betrübt
 umb den/ so Sie vorhin geliebt
 aus tieffen Hertzens-Grunde/
 dieweil das itzt ihr Häupt und Chron

**im Grabe wird verscharret schon:
O der betrübten Stunde!**

8.

45 **Nun ist es wahr daß diese Zeit
ist voller Müh und Hertzleyd/
hie wird kein Freud erfunden:
Wer gehet durch des Himmels-Thür/
der lebt beym HERRER für und für/
50 und hat alls überwunden.**

9.

**Drumb lasst doch von dem Trauren ab/
ob schon der Liebste wird ins Grab
verscharret und geleget/
die Seel ist frey von allem Leyd/
55 und wird dort in der Herrlichkeit
bey Christo wolgeheget.**

10.

50 **Wenn alles Fleisch wird aufferstehn/
solt Jhr einander wieder sehn
in jenem Freuden-Leben/
da werdet Jhr bey unserm Hort
ohn alle Sorgen fort und fort
60 in steten freuden schweben.**

11.

**GOtt der allzeit gepfleget hat
der Wäysen an des Vaters Statt/
65 wird Euch auch wol versorgen:
Ein Schützer er der Wittwen ist/
weiß Raht und That zu aller frist/
kein Ding ist Jhm verborgen.**

Dem seelig entschlaffenen zu schuldigen Ehren/
und den Nachgelassenen zu Trost
schriebe
Arnoldus Mahlstedt.

132. Adr: Rotgerus Pröbsting – Aut: Josias Josephi Fougman (cf. 129)

Göttingen UB, [Tartu UB]
EPICEDIUM

Ecce; Domus quamvis Centum sit fulta Columnis

Egregiis quamvis centum sit picta figuris

Vel Solidis faxis quamvis fundatur in aevum

Vel sorti quamvis ornetur rite metallo;

5 Corruit illa tamen nimium stridentibus austris,

Aut aequatur humo, vel tactis perdita flammis

Vertitur in cineres, aut in tenerasque Favillas,

Huic haud dissimilem mortalem dicere possem.

Quamvis sors hominum vireat quasi florida laurus,

- 10 Verbi Divini quamvis sit fulta Columnis,
 Egregiis Donis quamvis sors luceat almis
 Corruit illa tamen, Veteri cito stamine mortis.
 Si bona Commemorem quae corporis esse feruntur,
 Mille modis dirae sunt haec obnoxia morti,
 15 Vita quid est aliud, quam splendida forma senescens?
 Nil aliud quam bulla manet: Sic ibimus, ibunt.

Ita condolentiae ergo app.
 Josias Josephi **Fougmān** /
 Suderm. Svecus, p.t. Dec.

133. Adr: Rotgerus Pröbsting – Aut: Zacharias Klingius (Epitaphium /.../ Rötgeri Pröbsting, in Lembsal
 pastoris /.../. Dorpati Livonorum, 1654: J. Vogel) Göttingen UB, LAB, [Tartu UB]
 EPITAPHIUM

- IN DOMINO, PRÖBTING placida nunc morte quiescit
 RÖTGERUS, PASTOR qui BONUS ante fuit:
 Nam Populo VERBIS et RE monstravit JESUM;
 Lingvae vocali consona Vita fuit!
 5 Praetereaque vide, post mortem, quanta reliquit
 Gaudia: Quod certo vivat in arce Poli;
 Inque SOLO CLARUS per GNATUM denuo vivat!
 QUI PIUS EST, UNI, DAT CEDO QUANTA DEUS!

In perpetuam et gratam memoriam
 f.

ZACHARIAS L. KLINGIUS, D.
 per Livoniam Superintendens et Reg. Acad.
 Dorpat. V. Cancellarius.

134. Adr: Gustavus Soop – Aut: Johan. Luth (De monarchi discursus politicus, quem /.../ in Regia
 Universitate Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ moderatore /.../ Olao Wexionio, /.../ pro
 honoribus ac privilegijs summi in philosophia gradus adipiscendis, publico examini submittit Johannes O.
 Luth. /.../ ad diem 28. Nov. /.../. Dorpati Livonorum, 1654: J. Vogelius) SKB, UUB, [Tartu UB]
 DEDICATIO

- Generoso atque perillustri Domino,*
 Dn. GUSTAVO **Soop** /
 Libero Baroni de **Limmingo** / Haereditario in
MelBå ker et Nygå rd / etc. Arcis atque Dis-
 trictus Orebroënsis castellano
 5 eminentissimo;
 Magno Literarum Fautori
 summo Literatorum Promotori
 ac benefactori:
 10 *cum ob illustrem*
 Virtutis
 Eruditioñis
 Prudentiae
 Laudem atque splendorem;
 15 tum singularem
 in quosvis Musis operantes
 munificentiae eminentiam,
 in se, Parentes, suamque familiam

meritorum evidentiam,
 20 Hocce Munusculum chartaceum,
 devotae erga
 Patronum humilitatis
 Patronum observantiae
 Maecenatem pietatis
 25 atque affectus
 pignus et monumentum,
 animo submisso
 dat, dicat, et offert
 JOHAN. LVTH.

135. Adr: Abraham L. Sund(ius) – Aut: Zacharias Klingius (Divina illa sententia, γνωθι σεαυτον hoc est, nosce te ipsum: ex verbis Marci, apud M. T. Ciceronem, Tusculan. Quaestio. Lib. I sect. LII. animae rationalis naturam brevissime exhibens. Quam /.../ in Regia /.../ Livonorum Academia, praeside Petro Lidenio /.../ Pro magisterij honoribus, et privilegiis obtinenedis, publicae censurae /.../ submittit Abraham L. Sundius, /.../ ad diem XXVII. Maji an. MDCLIV. Dorpat, <1654>; J. Vogel)

SKB, UUB, H, EAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Praestantissime Dn. Abraham Sundi,
 Philosophiae Candidate eximie,
 Amice et Popularis honorande,

*Qvamvis praeclarae Eruditionis et integrae
 Vitae Conscientia, fructum in se ipsa suavem, praemiumque
 satis amplum, domi suae, habeat; ut nihil praeterea ipsi ne-
 cessarium esse videatur: Attamen cum hac re, quemadmo-
 dum aliis, ita comparatum est, ut se sola, pretii sui teste, ac
 paecone non facile sit contenta: Nisi Judicio aliorum et quidem
 Superiorum probetur atque confirmetur. Utpote ex quo Literis et ho-
 nestati gravitas, veneratio et gratia haud exigua conciliari solet. Vi-
 lescere enim et sordere etiam pulcherrima quaeque tantisper videntur, dum
 5 proprio testimonio innixa, alio sunt destituta. Quod Tibi, tuique simi-
 libus potissimum eveniret, ut qui modestiae studiosissimus Scientiam tu-
 am habere venalem minime consuevisti. Tibi proinde ex animo gratu-
 lor, quod Venerandi tui Praeceptores, nec non Progymnasmata tua
 10 publica, cum primis haec Gradualia, ceu Testes omni exceptione ma-
 jores Virtuti tuae pariter velificantur. Simulque precor, ut ex ea
 fructum Patriae et Ecclesiae uberrimum ferant, tuaque pientissima et
 honestissima Mater et quotquot tui vel Consanguinei, vel Affines sunt.
 Hoc meum votum ratum esse jubeat, Cui Te fideliter commendabo,
 15 Fons omnis Sapientiae DEUS, in Secula laudandus, vale! Dor-
 pati, Idib. Maji, A. MDCLIV.*

Eximiae T ^{ae} Praest. ^{ae}

addictissimus

Zacharias Klingius,
 S.S. Th. D. per Liv. Superint.
 et Acad. Dorpat. V. Cancel-
 larius.

136. Adr: Abraham L. Sund(ius) – Aut: Gabriel Elvering (cf. 135) SKB, UUB, H, EAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Rem facis eximia, MI SUNDI, laude vehendam
 Dum cathedram ascendis *themata* docta loquens.
 Sic non est, doctis multum insudasse libellis
 Cur te poeniteat, praemia digna metes.
 5 Lucraris gratos fructus et commoda opima,
 Ingenii postquam das documenta tui.
 Prende igitur, SUNDI, Virtutum digna tuarum
 Praemia, sic studiis consulis ipse tuis.
 Macte tuis ausis! Sic Nericia aucta nitebit
 10 Nomine Doctorum quo satis ante nitet.

Eximio Dn. Respondenti pro gradu Philosophiae
 disputanti
 benevolentiae testandae E. scrib.
 GABRIEL ELVERINGIUS, SS. Th. Prof. Ord.

137. Adr: Abraham L. Sund(ius) – Aut: Johannes Fijholmenius (cf. 135) SKB, UUB, H, EAB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

*Nulla cognitio cuius desiderium mortalibus natura
 insevit, reperiri potest quae vel gravitate, vel suavitate, vel ne-
 cessitate, nostri ipsius cognitionem supereret; ex nostri enim co-
 gnitione ad Supremi Numinis notitiam itur, alias res, quas vastissi-
 mus hic complectitur orbis, nocte dieque scrutari, et in sui cognitione coecu-
 tire, quis est qui inter doctos sibi non existimet indecorum, imo et da-
 mnosum? nusquam enim, quocunque in vitae statu, vel quocunque in ter-
 rae loco, in offenso pede progredietur is qui se ipsum ignoraverit. Et cor-
 poris quidem hujus nostri, quemadmodum magis obvia sensibus, sic faci-
 lior enim cognitio est, animi autem, qui instar Regis, corpoream hanc
 molem regit, gubernatque notitia, ut abstrusissima est nec nisi scintillulis
 quibusdam se ostendit, qua quaerenda sit, et summo labore, ingenique dex-
 teritate sit indaganda, non immerito multam iis omnes Sapientes et
 hisce et priscis seculis eruditio[n]is laudem tribuerant, qui ad animum no-
 strum cognoscendum vel suaserunt, vel anhelarunt. Hinc aurea illa
 γνῶσι σεἀντὸν tam excelsi tamque acris animi, vox iudicata est, ut au-
 cto[n]i suo divinitatis nomen, fidem, famamque conciliaverit. Quod tu
 Contubernialis suavissime, cum post feliciter et gnaviter perlustrata
 Philosophiae viridaria, et reportatam ab Praeceptoribus Tuis viri docti
 10 laudem, merito tibi ab iis encomium eruditio[n]is tributum, et praeclaros
 Magisterii honores destinatos esse, eruditissima de mentis nostrae notitia,
 disputatione ostendis. Ego non potui, quin optimis tuis conatibus, ex
 amico animo et singulari affectu gratularer. Sint igitur honores Ma-
 gisterii pro quibus laudabiliter disputas tibi summo honori, et vergant
 15 ad immortalis DEI gloriam, Ecclesiae aedificationem, Decus Patriae
 gaudium tuorum propinquorum, amicorumque, et audiat, et perficiat,
 qui omnia audit et potest, Ille Supremus. Vale.*

Stante pede, in Patriam profi-
 ciscens, animo et affectu fra-
 terno posuit
 Jo. Fijholmenius, Illustriss.
 R.S. Cancellarii Alumnus.

138. Adr: Olaus Sylvius – Aut: Gabriel Elvering (Disputatio theologica de universalis resurrectione mortuorum, quam /.../ sub praesidio /.../ Andreae Virginii, /.../ publicae ventilationi in Regia Academia Gustaviana Livonorum, submittit Olaus Sylvius. Ad diem <21.April> /.../. Dorpati Livonorum, 1654: J. Vogelius)

SKB, UUB, Karlstad StB, H, [Tartu UB]
GRATULATIO

Eximio Dn. Respondenti.

*Eximij Ingenij Studium, Doctissime Sylvi,
praestas, praecipua sedulitate tui.
Nil humile, aut vanum, nec quod non sidera spectat
egregia mentis prosperitate capis.
Sic complex Klingi cognati maxima vota,
accedit lumen, Praeside Virginio.
Ominor et quondam studiorum fructus habebis,
quos spondet pietas, quos tua causa meret.*

Scrib. amoris mnemosynon
Gabriel Elvering,
SS. Theol. Prof. Ord.

139. Adr: Olaus Sylvius – Aut: Petrus Lidenius (cf. 138)

SKB, UUB, Karlstad StB, H, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Ad humanissimum et Eruditissimum
Dn. Respond.*

*Principium vitae dolor est, lacrymabile totum
est medium, finis nonne itidem dolor est?
Ergo inter lacrymas tantas, tantosque dolores,
solamen, quodnam, et gaudia, quaeso, dabit?*

5 *Hocce: Resurgemus quod, felicem atque beatam
ad vitam, in quam mors nullum habet imperium.
Hoc tibi, mi Sylvi, manet alta mente reposum²⁵
Solamen tuum hoc est, hoc tua laetitia est!
Materia hoc tibi et est, sub claro Praeside, de qua
10 disseris egregie. Gratulor ergo tibi!*

M. Petrus Lidenius,
Profess. P. Facultatisque Phil.
p.t. Decanus.

140. Adr: Matthias B. Tempelius – Aut: Petrus S. Lidenius (De officiositate, disputatio philosophica; quam /.../ in Regia Gustaviana Academia, quae Dorpati /.../ est sub praesidio /.../ Petri S. Lidenii, /.../ ventilationi /.../ exhibet Matthias B. Tempelius, /.../ ad diem XXIX. Julii /.../. Dorpati Livonorum, 1654: J. Vogelius)

H, [Tartu UB]

GRATULATIO

Eruditionis elegantioris virtutumque praestantissimarum cultori studiosissimo.

Dn. MATTHIAE BLASII TEMPELIO, Amico suo per dilecto, et
per annos nonnullos, partim in Cathed. Revaliensium Sch. partim in Flo-
rentissima hac Academia Regia, Discipulo et Auditori perindu-
strio ac sedulo.

*Qvi cupid optatam studiorum attingere metam,
Constans ille erit, et sedulus atque pius.*

²⁵ *repostum* pro *repositum* edd metri causa

*Talis, Tu, semper, Tempeli docte, fuisti
Metam olim attinges, indubie ergo, bonam.*

Ita adplaudit PRAESES.

141. Adr: Nicolaus Utter – Aut: Zacharias Klingius (Disputatio theologica de poenitentia, cuius Θεωρίαν /.../ in Regia Gustaviana Adolphina /.../ Academia, moderante et praesidente /.../ Gabriele Elvering /.../ publico examini ventilandam subjicit Nicolaus Utter, /.../ author et respondens, ad diem <> April. anno 1654. /.../. Dorpati Livonorum, 1654: J. Vogel) SKB, UUB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Praestantissime et amicissime
Dn. Nicolae **Utter**

*Inter alia, quae de Poenitentia orthodoxe et
pie ex verbo DEI proponis, haud postremum est, quod
de lapsis in gratiam recipiendis, secundum svavissimas
illas V. et N. T. de peccatorum remissione*

- 5 promissiones, in medium adducis, ad paeclarorum Ecclesiae Docto-
ris vestigia atque exemplum: Viri quippe Dei hominem moeren-
tem erigunt promisso, errantem dirigunt paecepto, lan-
gventem excitant paeocio, ut in Speculo Christi mortuum exci-
tantis autor est Leonellus. Idque secus, quam male Reformati
10 Calviniani, qui extra Verbum relevatum, ex absoluto et absundi-
to Electionis ac Praeteritionis decreto, in consolandis tentatis, hoc,
quod Novatianus, efficiunt, qui, non tantum, ut in Evangelio si-
gnificatum est, sicut Sacerdos vel Levites, jacentem vulne-
ratum praeteriit, sed ingeniosa ac nova crudelitate, saucia-
15 tum potius occidit, adimendo Spem Salutis, denegando
Misericordiam Patris, respuendo poenitentiam fratris.
Ita Reformati, absoluto suo Praeteritionis decreto, jacentes vul-
neratos praetereunt, Spem Salutis illis adimunt, Miseri-
cordiam Patris denegant etc. Haec crudelitas Caina est,
20 quae nonnisi tantum occidere gestit, nec sibi novissime
parcit, quemadmodum in Epistola ad Novatianum graviter lo-
quitur Cyprianus. Quia vero a Novatiani, aliorumque fanatico-
rum hominum paradoxis periculosissimis totus abhorres Praestan-
tissime Dn. Utter et Ὁρθοδοξίαν pro virili tua serio propugnas, tibi
25 ex animo gratulor, Deumque precor, ut Te in agnita veritate, ad
finem usque vitae, in difficilimo hoc verae Religionis statu confirmet.
Si qua ratione piis tuis conatibus prospectum ire potuero, et Tui et
Cumprimis Fratris tui causa, cum quo a puero, svavissima mihi
intercesserat amicitia, fideliter ac libenter faciam, Vale! Dorpati,
30 pridie Calendarum Aprilis, An. M DC LIV.

T ae. Praest ae
addictissimus

Zacharias Klingius, S.S. Th. D.
Per Livon. Superint. et Reg Acad.
Dorpat. V. Cancellarius.

142. Adr: Nicolaus Utter – Aut: Gabriel Elvering (cf. 141)

SKB, UUB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Grande Salutis opus quam sit Conversio nostra
Ex verbo nobis est patefacta Dei.*

*Haud operatur homo quicquam, translatio dum fit
Ex Satanae vinclis ad sacra Regna Dei.
5 Incipit hic flamen Domini, consummat idemque
Cimmerias mentis discutit id tenebras.
Hoc dum propugnas, Utter/ prae nobile thema,
Gratulor atque precor, surgat ut hinc tibi lux!*

Praestantissimo Dn. Respondenti
Autori hujus speciminis
sc.
Praeses.

143. Adr: Nicolaus Utter – Aut: Ericus Holstenius (cf. 141)

SKB, UUB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Sedulus en carpis per amoena rosaria flores
Theiosophon, Utter Candide Amice, tibi.
Pergas ceu pergis plures super addere flores
Ingenij pulchri, fructus amoenus erit.*

Doctissimo Dn. Respondenti
ita gratulari voluit
M. Ericus Holstenius,
Graecae et Hebr. Ling. Prof.

144. Adr: Nicolaus Utter – Aut: Samuel Förnbeck (cf. 141)

SKB, UUB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*N obilis ingenij speciosum dulceque fruct
I cito da specimen, Frater amande tui
C hristus Discipulique sui haec praecepta dederun T/
O mnis delinquens, ut resipiscat homo.
5 L audibus hinc dignos conatus hosce licebi
A t versu exiguo, jam celebrare tuos.
Vivas sis patriae Decus ingens candide frat ER/
S is generis clari, dulce decusque tui!*

Ita Praestantissimo Dn. Respondenti
amico suo ac fratri inter paucos
electo appl.
Samuel Förnbeck /
LL. Stud.

145. Adr: Dorothea von Wickeden – Aut: Gabriel Elvering (Justa /.../ Dorotheae von Wickeden, /.../ Erici
Holstenii, Graec. et Hebr. ling. in Academia Gustaviana professoris /.../ conjugis, quae 1630. d. 20. Martij
/.../ Dorpati nata. An. v. 1654. die 12. Julij /.../ denata, ecclesiaeque /.../ terrae matri in templo Dorpatensi
D. Johanni /.../ dicato in tumulo /.../ 16. Jul. /.../ commendata est. Ab amicis obitum hunc /.../ soluta.
Dorpati Livonorum, 1654: J. Vogelius)

SKB, H (def), [Tartu UB]

EPICEDIUM

Sub Persona honestissimae Matronae
beate Defunctae.

*Vitae nunc socium linquo, blandumque Parentem,
linquo recens natam nunc teneram sobolem:
Germanum fratrem nunc desero, vosque Sorores,
fortunasque, domum, quicquid et orbis habet.
5 Ad coelum pergo, quae sunt coelestia specto:*

Vos cunctos, oro, servet ut ipse Deus.

Pauca haecce gemebundus
deproperabat
M. Gabriel Elvering,
SS. Theol. Prof. Ord.

146. Adr: Dorothea von Wickeden – Aut: Heinricus Hein (cf. 145)

SKB, H (def), [Tartu UB]
EPICEDIUM

Προσφώνεσις ad Moestissimum Dn. Viduum.

DOROTHEA en compar tua dilectissima quondam
Pars animae fuerat delitiosa tuae.

Illa *Dei Donum* claras in luminis auras
Prodixit, casta Matre bonosque Patre.

5 Ut prognata sacri Baptismatis amne renata est,
DOROTHEAE clarum nomen adepta fuit.

Sangvinis Authores numerans longe ordine priscos,
A multum meritis floruit haec Atavis.

Dante DEO acrevit Decus immortale Cohortis

10 Foemineae, pia erat, pulchra, venusta, proba.
Cum pulchras animi dotes, floremque coruscum
Viderat HOLSTENIUS, captus amore fuit

Virginis Fulgidulae, constans connubia poscit
A Genitore ejus; spes data grata tori.

15 Numinis auspicio it Venus in thalamos maritales,
Delitium amborum hinc filius eximius
Nascitur; Ast cito abitque Parentis imago *Johannes*,

Charus erat Patri, charior atque DEO.
Postea limen init vitae tener (ah!) *Nicolaus*

20 Matre orbatus adhuc vivit agente Deo.
Postque puerperium placide denata secundum
In patrio clausit lumina pulchra solo.

Ante diem (fateor) tibi Nobilis occidit Uxor,
Tam bene quae mentem noverat alma tuam.

25 Quae quo dicta fuit, se dignam nomine gessit
DOROTHEAE; *Donum* nam fuit illa *DEI*.

Disce Dei mores, qui sic sua dona reposcit,
Ad Dominum redeat, quod fuit ante suum.

Vince igitur luctum bene te solare tuosque,
Solamen firmum det DEUS usque! Vale.

Bene nata
An. 1630.
d. 20. Mart.

Bene elocata
An. 1652.
d. 4. Maeji

Bene denata
An. 1654.
d. 12. Julii.

Condolens scrib.
HENRICUS Hein / U.J.D.
Professor Ord. et Dicasterii Re-
gii Adsessor.

147. Adr: Dorothea von Wickeden – Aut: Sebastianus Wirdig (cf. 145)

SKB, H (def), [Tartu UB]
EPICEDIUM

*Si pietas, si vel laudata, VIR Optime, virtus
Jura retardarent gelidae tristissima mortis,
Longam vixisset Tua Conjux Optima vitam.
Sed dilecta DEO fuit; hinc super aethera longam*

5 *Vitam vivit ovans, faciemque DEI aspicit: Ergo
Siste Tuas lacrymas, siste et suspiria tandem,
Ad patriam, ad coelos per funera tendimus omnes.*

Sebastianus Wirdig / Med. D.
et P.P.

148. Adr: Dorothea von Wickeden – Aut: Petrus Lidenius (cf. 145)

SKB, H (def), [Tartu UB]
EPICEDIUM

Plurimum honorande Dn. Collega, *rectissime*
et verissime Poëta loquitur dum dicit: Carmina provenient ani-
mo deducta sereno. Sereno igitur animo cum propter atram il-
lam luctus nebulam, obscurissimamque tristitia noctem, (quae occidente nuper

5 *sole illo domus tuae fulgentissimo ac blandissimo, cuncta in ea praecclare illu-*
strante et jucundissime fovente) Te Tuosque occupavit, Christiana compatien-
tia me esse vetet, carminum fabricae crucem hic figere non sustineo; nec etiam
in illigata et sua indole liberiori dictione, multiloquum affectus meus
dolori Tuo impense condolens esse sinit: Paucissimis igitur tibi in mentem re-

10 *voco divi illius mundanorum supplantatoris, (hunc et re et nomine talem no-*
sti fuisse illustrem illum Patriarcham Jacobum) exemplum, cui cum simili-
ferme modo, domus suae splendidissimus Sol, longe dulcissima ac dilectissima
ejus conjux Rachel occidit, luctum suum vehementissimum moderando, se ita
gessit ut decuit tantum Patriarcham, tantum Heroa, tantum Paternae Je-

15 *hovae de suis curae Confessorem, tantum animarum immortalitatis Professo-*
rem: Sepelivit desideratissimae vitae sociae exanime corpus quam honorificentis-
sime, erecto ipsi Cippo sepulchrali, qui memoriam sepulturae hujus perpetim pe-
rennaret, exemplarque sancti et Patriarchalis ritus exsequialis sacrae etiam
posteritati exhiberet ac commendaret. Non nimis indigne hoc feres, mi

20 *Dn. Collega, quod tanto Patriarchae, sorte similis factus sis, hinc cum pro*
more hujus loci et populi, justa tuae olim charissimae a te sint persoluta, spe re-
dituri post nubila Phoebi, animum revoca, doloremque mitte! Jacob filium
suum Matris fatis superstitem vocavit Benjamin, animi sui fortitudinem

25 *invictumque robur intimans, Tuus Nicolaus, cluens nomine non sane dissimili,*
per tui animi fortitudinem νίκην victoriam tibi de moerore et adversitate
quacunque portendit. Hac ut fruaris et quam diutissime Spiritu roboris et
consolationis valeas! voveo.

Tibi sincero affectu addictissimus
Petrus Lidenius, Prof. P.
et p.t. Fac. Ph. Decanus.

149. Adr: Dorothea von Wickeden – Aut: G(udmundus) L(idenius) (cf. 145) SKB, H (def), [Tartu UB]
EPICEDIUM

DOROTHEA excellens et nomine et omne Donum
Divinum fuit; ast is repetitor erat
Ejus qui dator, hac autem cum conditione,

5 *Ut tandem donum hoc redderet ipse tibi,*
Clare Vir, in Patria, longe pretiosius, isthoc
Aevo quam fuerat. Consule hoc ergo boni.

M. G. L.

150. Adr: Dorothea von Wickeden – Aut: Elaus Nicolai Tollenius (cf. 145) SKB, H (def), [Tartu UB]

Vita hominis quidnam est? aerumnarum cumulus ni,
 Dicatur? nitido pulchra colore licet?
 Est homo ludibrium, ventus, flos, Bulla palustris,
 A nutu pendet tergeminique DEI.

- 5 Hoc satis experta est, placida jam morte soluta
 HOLSTENII Clari Chara Marita Viri.
 Sic omnes imus, manet immutable Fatum,
 Nil rapido Letho certius esse potest.
 Felices igitur quos in discrimine tanto
 10 Avocat ad coeli moenia celsa DEUS.

In signum condolentiae, haec pauca
 adjicit
 Elaus Nicolai Tollenius
 Diac. et Con-Rect. Dorpat.

151. Adr: Dorothea von Wickeden – Aut: Andreas Hellenius (cf. 145)

SKB, H (def), [Tartu UB]
EPICEDIUM

**Letzte Rede und Segen der Sel. Verstorbenen an ihren liebsten
 Ehe-Herrn/ und sämptlche Anverwanten.**

- Ade mein liebsten Schatz/ ich muß euch itzt verlassen/
 Die lieben Englein schon auff meine Seele passen;
 Gesegn Euch JEsus Christ: Jhr müsset bleiben noch
 Vnd ziehen in der Welt des schweren Kreutzes Joch/
 5 Noch eine kleine Zeit/ so werdt ihr bald auch kommen
 Zu mir bey unserm Hort/ zur Wohnung aller Frommen.
 Gesegne dich auch GOtt/ mein allerliebstes Kind/
 Du meines Hertzens Frucht/ itzt leiden zu geschwind
 Jch dich verlassen muß. O liebstes Vater-Hertze/
 10 Soll nun im Alterich Euch mehren euer Schmertz.
 Gesegn auch GOtt der HERR euch liebste Schwestern fein/
 Betraurt doch nicht zu sehr den schnellen Abschied mein.
 Was nützt mir mehr die Welt/ was kan sie mir doch geben?
 Wann ich nur Christum hab/ acht ich gar nicht das Leben/
 15 All Reichthumb/ Zeitlichs Gut/ das wehrt ein kleine Zeit
 Vnd nützet doch gahr nichts zu jener Seligkeit:
 Du aber JEsu Christ/ mein Hofnung/ Trost/ und Leben/
 Mein teurer Seelen-Schatz/ kanst mir ein bessers geben/
 Zu dir steht all mein Sinn/ dir leb ich allezeit/
 20 Dir wil ich sterben auch/ komm nur ich bin bereit.

PILEUS POETICUS

Cogitationes tristitiae plena occurentes obumbrans.

- Clare Vir audi
 Holsteni, cape lenimen
 Constans tristitiae tuae
 Confirma genium tuum
 Verbo plenipotente nunc
 25

Numinis aeterni tergemini usque Dei,
 Cogitandum sic tibi semper esset
 Non amissam illam verum in patriam peramoenam
 Praemissam; licet et mors sit destructio carnis
 Coelestis tamen est pulcherrima janua vitae.
 Inter lachrimas debitae luctus contestandi E.
 haec posuit
 Andreas Hellenius, Arosia Westmann.

30

152. Adr: Dorothea von Wickeden – Aut: Daniel Flojerus (cf. 145) SKB, H (def), [Tartu UB] EPICEDIUM

HOLSTENI, Hebraeae nitidissima gloria Lingvae,
 Et Grajae; Clarum dexteritate Decus:
 Ah! propere occumbit tua dilectissima Conjur,
 Pars animae occumbit deliciosa tuae.
 5 Digna quidem vita, sed dignior aetheris aula;
 Optassem vitae tempora longa datae.
 Cursum at quem dederat Dominus jam rite peregit;
 Nec metuet posthac, tristia Jura necis.
 Hinc cessent lacrymae, magnum quoque mitte dolorem,
 10 Aeterno semper Concinit ore DEO.
 Debitae condolentiae, officiique postremi declarandi
 ergo moestus apposuit
 Daniel Flojerus,
 Smol-Svec.

153. Adr: Dorothea von Wickeden – Aut: Andreas G. Kyander (cf. 145) SKB, H (def), [Tartu UB] EPICEDIUM

*Matthusalae multis fueras dignissima seclis²⁶
 Vivere, DOROTHEA ah quam subito ecce cadis!
 Te pietate CHRISTO, solertia casta marito
 Fecit pergratam, reddidit eximiam.
 5 Te charam lugent noti, cupiunt peregrini,
 Promptam, et extollit carmine quisque probam.
 Nunc autem praesens coelesti sede potiris,
 Gaudia ubi nullum sunt habitura modum.
 Quid igitur nimium tristissima funera defles,
 10 Conjugis optatae, turturis usque modum,
 Praeclare HOLSTENI, Moecenas maxime, fautor?
 Ne tibi dispiceat, quod placuit Domino.
 Sed meditare sonus placido has in pectore voces
 Et roseum tollas, placide ad astra caput:
 15 Uxorem Dominus, dedit idem hanc abstulit, ipsi
 Clementi Domino sic placuisse sat est.
 Inter lachrymas et Suspiria ponere voluit imo
 debuit
 Andreas G. Kyander.*

154. Adr: Dorothea von Wickeden – Aut: Ericus Koßkull (cf. 145) SKB, H (def), [Tartu UB] EPICEDIUM

²⁶ Secli pro saeculis edd metri causa

*Mors mortis morti, mortem mors morte redemit,
Et CHRISTI morte est, sic reparata salus.*

Ericus Koßkull /
A. F.

155. Adr: Dorothea von Wickeden – Aut: Simon Theodori Hodensius (cf. 145)

SKB, H (def), [Tartu UB]
EPICEDIUM

En fragilis vita haec! hominum quae vita vocantur!
quotquot humo nati, tot humo debentur humandi!
Non habet hic tutam, probat experientia, sedem
DOROTHEAEque probat celeberrimae hoc HOLSTENIANAE
5 Exemplum! En obiit longa dignissima vita!

Condolentiae ergo scrib.
Simon Theodori Hodensius,
Smol. Svec.

156. Adr: Dorothea von Wickeden – Aut: Erlandus Hiärne (cf. 145)

SKB, H (def), [Tartu UB]
EPICEDIUM

Sic vita in terra hac delectat et undique munit
lethum perturbat vastat.
Proh triste exemplum nobis nunc sistitur eheu!
Praeclari ecce Viri moritur charissima Consors!
5 HOLSTENIVS Genitor privatus Conjuge fida est!
Gnatus nunc Genitricis
Qu os dis junctio n unc male Dorptae contristavit,
H con t in coelo laetificabit.

Luctus contestandi E.
haecce pauca apponebat
Erlandus **Hiärne.**

157. Adr: Dorothea von Wickeden – Aut: Sveno E. Scriberus (cf. 145) SKB, H (def), [Tartu UB]
EPICEDIUM

DOROTHEA en Decus et nitidissima Gloria Stirpis
WICKEDEN, En jacet hic! Thalami dulcissima consors
Delicium HOLSTENII, virtutibus optima Amica,
In Patriam tendit reddenda ibi cara Marito
5 Quem tenet hic maeror, luctus, planetusque lacessit
Miraris cur sic? Sic fert Divina voluntas.

Condolenti Animo et calamo
haec scribebat
Sveno E. Scriberus.
Westmann.

158. Adr: Dorothea von Wickeden – Aut: Matthias Tempelius (cf. 145)

SKB, H (def), [Tartu UB]
EPICEDIUM

Epigramma allusivum ad Defunctae honora-
tissimae Matronae nomen, quod erat Dorothea,
id est, Donum DEI.

*An recipit DEus ipse suum Donum? Recipit; Sed
ut reddat rursus charius et melius.*

Observantiae et consolationis g.
scripsit
Matthias Tempelius,
Hapsal. Liv.

159. Adr: Dorothea von Wickeden – Aut: Zacharias Austrelius (cf. 145)

SKB, H (def), [Tartu UB]
EPICEDIUM

*Fas mihi erit certe suffundere lumina rore,
Cum nunc HOLSTENII svavis Conjur, mea Fautrix
Paucos ante dies placide sua fata secuta,
Filiolum scitum Nicolaum morte relinquens!
5 Hoc me solatur duntaxat eam esse beatam,
Quam beat Omnipotens ut in axe nitente corona
Multis praecedat laetans ibi luminis instar.*

Condolenti animo animitus
vovebat
Zacharias Austrelius,
O-Gothia Svecus.

160. Adr: Johannes Magni Wintrosius et Johannes Petri Dalenius – Aut: Andreas Virginius (Justa funebria /.../ Joanni Magni Wintrosio, Nericio, et /.../ Johanni Petri Dalenio, Sudermanno, Regiae Academiae Gustavianaee Dorpatensis alumnis et civibus quondam eximiis; qui /.../ ad coelestem /.../ Academiam /.../ hic quidem d. XV, ille vero XXIX. Aprilis, anni MDCLIV. pie emigrarunt. Cum /.../ eorum corpora, Dorpati, in templo cathedrali, VII. Maji, ejusdem anni, terrae gremio /.../ mandabantur, persoluta a praceptoribus, amicis et commilitonibus. Dorpati, <1654>; J. Vogel)

Linköping LB, [Tartu UB]
EPICEDIUM

Pie defuncti Dn. JOHANNIS WINTROSII:

*Mortalis vixi, cecidi, immortalis ut essem:
Quo mage curta dies, hoc mage longa quies:
Mortuus in Christo, per Christum e morte resurgam;
Lucis ero consors, ut crucis ante fui.*

Condolentiae ergo scribebat
ANDREAS VIRGINIUS, D. et P.P.

161. Adr: Johannes Magni Wintrosius et Johannes Petri Dalenius – Aut: Gabriel Elvering (cf. 160)

Linköping LB, [Tartu UB]
EPICEDIUM

*Ergone mors binos studiosos abstulit una
Et rapuit patrio fulcra futura solo?
Nec tibi Wintrosi, Daleni nec tibi parsit,
Funere, sed gemino mersit utrumque caput.
5 Patria terra sibi vestras spondebat opellas,
Ad natale solum jam properasti iter:
Sed frustra: Nos fata regunt, Deus omnia certo
Dirigit arbitrio, quod facit omne bonum.
Sic Coelestis habet mentes Academia vitae,
10 Dorpatum servat reliquias gremio.*

Auditoribus suis quondam assiduis ultimum
honorem exhibet συμπαθής

GABRIEL ELVERING,
SS. Th. Prof.

162. Adr: Johannes Magni Wintrosius et Johannes Petri Dalenius – Aut: Ericus Holstenius (cf. 160)
 Linköping LB, [Tartu UB]
 EPICEDIUM
Ἐπιτύμβιον

Hic tumulus jungit Juvenes, quos ardua Virtus
 Et probitas Vivos junxit, et una fides.
 Hic tumulus jungit binos, quos junxerat ante,
 Improbus in studiis assiduusque labor.
 5 Hic tumulus jungit, quos Coeli, sangvine Christi
 Aeternum junget, gloria parta piis.

Aliud.

Svecia nos genuit, primis Juvenilibus annis
 Dorpatum docuit, sustulit; et sepelit.

Haecce Juvenibus optimis, Discipulis olim desideratissimis
 nunc beatissimis, inter lacrymas posuit,
 M. ERICUS HOLSTENIUS, Westman.
 Graec. et Hebr. Ling. Professor.

163. Adr: Johannes Magni Wintrosius et Johannes Petri Dalenius – Aut: Petrus Lidenius (cf. 160)
 Linköping LB, [Tartu UB]
 EPICEDIUM

*Qvos Patria et sangvis, junxit, juxere animique
 Concordes, junxit quos studium simile:
 Ferme hos conjunxit tempus junctim moriendi,
 Jungunt exsequiae, jungit et hos tumulus:
 5 Jam patria et jungit coelestis, jungit ibidem
 Officium Sanctum, quod canere est Domino,
 Conjunctione frui summo bono, et omnipotens
 Laetari in sancta cognitione Dei.
 Corporibus jungetque animas Salvator Iesus,
 10 Perfecta tribuet laeticiaque frui.
 Vosque, Parentes, his junget. Disjunctio quorum
 Hoc, vestros animos, tempore discruciat.
 Junctim sicque omnes gaudebimus associati
 Electis, sanctis angelicisque choris.*

M. PETRUS LIDENIUS, Prof. Log. et Ethicae
 R. Fac. Theol. Adjunctus, Collegiique Philos. p.t. Decanus.

164. Adr: Johannes Magni Wintrosius et Johannes Petri Dalenius – Aut: Olaus Wexionius (cf. 160)
 Linköping LB, [Tartu UB]
 EPICEDIUM

Excepit quos ingenio acri et stemmate claros
 Ante annos Juvenes Dorptica nostra aliquot
 Haec Academia, WINTROSIUM et DALENIUM, Achates,
 Usus formandos in patriae, eximios:
 5 Hos repetit nunc celsa domus, non Svecica tellus,

Coelicolum, Cives et jubet esse suos.

sc.

M. OLAUS WEXIONIUS,
Polit. et Hist. Prof.

165. Adr: Johannes Magni Wintrosius et Johannes Petri Dalenius – Aut: G(udmundus) Lid(enius) (cf. 160)
Linköping LB, [Tartu UB]

EPICEDIUM

Linquitis haec, equidem, WINTROSI tuque DALENI
Quae magna coluistis, laude, Academica tempe.
Estis translati, sed nunc Academiam ad illam
Coelestem in qua vos jam semper et absque labore
5 Proficitis, Dominum celebrando, vivendo beati,
Quam Praeceptorum vestra est Sapientia major.

M. G. LID.

166. Adr: Johannes Magni Wintrosius et Johannes Petri Dalenius – Aut: Abraham Sundius (cf. 160)
Linköping LB, [Tartu UB]

EPICEDIUM

Prosopopoeia pie Denatorum ad moestos Parentes.

*Novimus ingentem vos detorquere dolorem,
Novimus et tristes vos ingeminare querelas,
Immitem casum transire in viscera vestra
Cum gemitu magno, quem nobis invida fata
5 Accelerant subitoque nimis juvenilibus annis!
Vnica cura fuit, post maxima vota parentum,
Concelebrare Deum nobis, studiisque deinde
Invigilare bonis, et dignos reddere fructus
Ingeniis nostris, solamina magna referre
10 Vobis et cunctis praedulcia gaudia nostris.
Maximus Ille Pater verum qui dirigit omne,
Et qui disposuit sapienter cuncta, vocavit
Nos, comitesque suos voluit. Florentibus annis
Indigenae terrae fuimus, jam gloria coeli
15 Nos manet aeternum, Jesu Duce et Auspice Christo.
Nil vobis lacrymae prosunt, mortalia nostra
Corpora non remeant, non est mutabile quidquid
Instituit semel Ipse Deus, sed tutius esse
Ducimus implorare Deum dignetur ab alto
20 Vos sociare suis, merito quoque donet honore.*

ABRAHAM. SUNDIUS.

167. Adr: Johannes Magni Wintrosius et Johannes Petri Dalenius – Aut: Zaharias Lundius (cf. 160)
Linköping LB, [Tartu UB]

EPICEDIUM

Hei mihi quam variis hominum, quam plena querelis
Vita, quot et quantis subjacet ista malis!
Ingenio, Eloquio, Doctrina atque arte probatos,
Et morum sancta simplicitate graves,
5 Eripuit durae nobis violentia mortis,
Nostraque funesto corda dolore premit

Flebilibus mecum Doctissima turba virorum
 Flebilibus luge grex Studiose modis.
 Fata manent immota omnes: cum venerit hora
 10 Quae mihi praescripta est, me quoque fata manent.
 ZACHARIAS LVNDIVS.

168. Adr: Johannes Magni Wintrosius et Johannes Petri Dalenius – Aut: Olaus E. Sundelius (cf. 160)
 Linköping LB, [Tartu UB]
 EPICEDIUM

*Certa quidem mors est, incerta sed omnibus hora:
 Incertum genus est mortis, et ipse locus,
 Quod juvenum casus binorum comprobat unus,
 Patria quos genuit, terra remota tegit.
 5 Sangvine conjunctos et mors conjunxit, et una
 Protinus ad Dominum sic properare jubet.
 Moestitiam vestram sed vos deponite Patres,
 Vos lacrymas Matres sistite quaeso graves:
 Nam certe natis data sors est optima vestris;
 10 Quippe colunt celsi regna beata poli,
 Milleque percipiunt promissae gaudia vitae.
 Scilicet haec Christi est munere parta quies!*

OLAUS E. SUNDELIUS.

169. Adr: Johannes Magni Wintrosius et Johannes Petri Dalenius – Aut: Johannes Luth (cf. 160)
 Linköping LB, [Tartu UB]
 EPICEDIUM

Sis licet ingenio magnus, sis corpore praestans;
 Attamen es pulvis, pulvis et illico eris. *Gen. 3. v. 19.*
 In Pontum ex fluiis velut unda revolvitur omnis, *Syr. 42.v. 11.*
 Sic reddit in terram, terra quod ante fuit.
 5 Terminus est homini vivendi quippe statutus *Jobi 14. v. 5.*
 Extremusque venit, lege trahente, dies.
 Multum ast felices, o terque quaterque beatos *Apoc. 14. v. 13.*
 Vita quibus fragilis clauditur in Domino:
 Flaminis est etenim constans sententia Sancti,
 10 Hosce frui salvos perpetua requie.
 Desinite hinc blandi *natos lugere Parentes:*
 Hos recipit Dominus, quos prius ipse dedit. *Job. I. v. 22.*

Aliud ex Eccles. cap. 12 v. 7.

*Σῶμα μὲν Ἀνθράπον φθαρτὸν πρὸς γαῖαν ἵκεσθω,
 ἐξ ἥς ἐντέχνως ἔπλασεν αὐτό Θεός.
 15 Πνεῦμα δὲ ἀθάνατον πάλιν ἡκέτω ἐξ Θεόν, ὅστις
 τοῖς ἐν τῇ ἀρχῇ τοῦτο ἔδωκε βροτοῖς.*

JOHANNES LVTI.

170. Adr: Johannes Magni Wintrosius et Johannes Petri Dalenius – Aut: Olaus Dalinus (cf. 160)
 Linköping LB, [Tartu UB]
 EPICEDIUM

*Qui te falciferi tonsoris imagine pinxit,
 Defuit hic vero, mors truculenta, nihil;*

*Aestivo resecat ceu tonsor tempore gramen,
 Non secus humanum demetis omne genus.*
 5 *Ceu pulcris redolent viridantes floribus horti
 Purpureisque nitent lilia mista rosis;
 Et rosa mane viret ceu lenibus alta pruinis.
 Vespere reflectit sole furente caput.*
Sic quoque vita brevis floris fragrantis ad instar,
 10 *Quosdam fert mediis hinc Libitina rosis.
 Haec rapit illustres tam fisos milite Reges,
 Quam clausum raris vulgus inerme casis.
 Nil juvat hic aurum rutili nec vasta metalli
 Pondera; philtra ejus nemo cavere potest.*
 15 *Mortis in imperio stant regna potentia, vires,
 Mortis et imperio stat decus, ars et honos.
 Nulli Lanifcae didicerunt parcere Parcae,
 Subditus et Dominus sunt in agone pares.*
Horrifer et Boreas, qui terras grandine pulsat,
 20 *Cur plantas caetus demetit Aonij?
 Ah cecidit! Subito Wintrosius atque Johannes
 Dalenius; medios quos tulit ante dies
 Aspera mors; vere nullis pietate secundos
 Hinc pariter gelida jam tumulantur humo.*
 25 *Palladias artes coluerunt sedulitate,
 Undas hinc biberant Pieridum riguas.
 Molliter in levi recubabunt mole Sepulcri
 Raucae dent donec murmura summa tubae;
 Et trahat exitium pulcherrima fabrica mundi*
 30 *Sic ruat excelsi machina rupta poli.
 Vos tamen o flentes, calidi pietate Parentes
 Ex animis maculas tergite tristitiae.
 Atque modum lacrimis proponite, signa facessant
 Luctus, assiduus conficit ossa dolor.*
 35 *Nec juvat innumeris torqueri questibus! ordo
 Naturae namque est vivere deinde mori.
 Hinc sine fine Deum Wintrosius atque Johannes
 Dalenius laudant, perpetua requie:
 Sol ubi justitiae vernos Io proferet ortus*
 40 *Flores atque comas semper habent virides.
 Numinis en sancti fuit haec divina voluntas
 Par est vos illam consuluisse boni!
 Conplacuit Domino vivunt quo semper in altis,
 Perpetuae laeti gaudia pacis habent.*
 45 *MoLLIter obIeCto reqVlesCIt sCrobe IOHANNIS,
 WINTROSI eXIgVa at CorpVs teLLVre²⁷ resVrget.²⁸
 HIC IaCet et VaCVas IVVenIs DeLapsVs In aVras
 NobILIs et CVLtvS DALENIVS arte IOHANNES.²⁹*

²⁷ *teLLure* Li : *teLLVre* corr

²⁸ Chronostichon annum 1654 exhibens

²⁹ Chronostichon annum 1654 exhibens

OLAUS DALINUS.

171. Adr: Johannes Magni Wintrosius et Johannes Petri Dalenius – Aut: Johannes St. Klingius (cf. 160)
 Linköping LB, [Tartu UB]
 EPICEDIUM

Tristes cognati plangant tristesque Parentes,
 Plorent affines, Chari lacrimentur amici!
 Namque duo Juvenes vi mortis proh cecidere,
 Quorum JOANNES cecidit, WINTROSIUS unus!
 5 Nec non JOHANNES cecidit DALENIUS alter!
 O spes fallaces! o vitae stamina curta!
 Ah doleo fidos jam non superesse sodales!
 Arbiter ast aevi nescit cunctarier unquam,
 Qui lex ipse sibi est, vitam qui donat et aufert:
 10 Ipsi quod placuit nobis placuisse decebit;
 Intrarunt vitam cita post sua fata beatam!

JOHANNES ST. KLINGIUS.

172. Adr: Matthias Wält et Ebba Albogia – Aut: Ericus Holstenius (Solennibus nuptiarum sacris /.../
 Matthiae Wält, Ecclesiae Jerwesalensis Ingermannia pastoris /.../ et philosophiae cand. sponsi, /.../ die 15.
 Junij anno 1654. in arce Ivanogrodensi conjugium contrahentis, cum /.../ Ebba Albogia /.../ Erici Albogii,
 pastoris et praepositi in Iwanogorod et Regij Narvensis Consistorij assessoris filia /.../ sponsa. Adplaudunt
 amici Dorpatenses. Dorpati, <1654>; J. Vogel) Linköping LB (def), [Tartu UB]
 EPITHALAMIUM

*Delicium Phoebi, Nitidissima Gloria Templi
 Quid tibi jam exclusus tempore, Sponse precor?
 Conjugium felix tibi sit, castumque serenum
 Nec turbent illud noxia fata precor.
 5 Vita salus soboles tibi sint, his commonet inde
 Aer ac aether, terra salumque precor.*

Quod Neonymphis ex animo
 vovet
 M. Ericus Holstenius,
 Westman. Hebr. et Graec.
 Ling. Professor.

173. Adr: Matthias Wält et Ebba Albogia – Aut: Petrus Sven. Lidenius (cf. 172)
 Linköping LB (def), [Tartu UB]
 EPITHALAMIUM

*Ter te felicem dico, clarissime Sponse,
 Tres tibi quod junctae Sponsae optatissimae, earum.
 Est prima et merito primo tibi j<unc>ta Sophia:
 Altera et ut decet est Ecclesia Jerve<salensis>.
 5 Tertia et est calido merito dignissima <...>³⁰
 EBBA ALBOGIA quam felici <....>
 quam genus et virtus praeclare <r....>
 His ergo ut Sponsis digne imperi <...>
 (Quae Sophia est) rectus, charitum tibi triga benigna,
 10 vel potius Numen, Trinunum comprecor adsit.
 Sic sit conjugium felix, tu terque beatus.*

Ita Rev. et Cl. Dn. Sponso Amico suo

³⁰ textus corruptus Li, fortasse virgo

integerimo gratulor
M. Petrus Sven. Lidenius,
Log. et Eth. Profess. publ. R. Facult.
Theol. Adjunct. et Coll. Philos. p.t.
Decanus.

174. Adr: Matthias Wält et Ebba Albogia – Aut: G. Lidenius (cf. 172) Linköping LB (def), [Tartu UB]
EPITHALAMIU

*Exoptata dies, jam jam Clarissime Sponse
Illuxit thalamum, qua formosissima Virgo,
Sponsa, tuum ingreditur, qua convivae quoque laeti
Dona ferunt alij tibi connubialia, multi
5 Plausta tibi et mittunt ingentia carminum, amicum
Declarando animum. Ne plane ego ἀσύμβολος (absens
Sim licet) addo μέρος τονυόν pia vota; serenum
Et svave et felix ut conjugium tibi fiat!
Vita, salus, soboles, tibi sint sine labe! perennis
10 vitaque post vitam hanc mortis! Quidnam amplius addam?*

M. G. Lidenius,
Ampliss. Facul. Ph.
Adjunctus.

1655

1. Adr: Carl Georgii Agrarius – Aut: Gabriel Elvering (In /.../ coelestem patriam migrationem /.../ Caroli Georgii Agrarii, in Academia Regia Dorpatensi artium selectiorum cultoris /.../ qui an. 1631. in Paroecia Tunensi in Westmannia natus, 1655. /.../ Dorpati denatus, 22. ejusdem mens.³¹ /.../ terrae communi Matri in Templo Cathedrali commendatus est. Carmina a fautoribus, praceptoribus et amicis /.../ scripta. Dorpati Livonorum, <1655>; J. Vogelius)

H, [Tartu UB]
EPICEDIU

*Seu tibi dent longam seu curtam Numinia vitam,
utraque stat curis obruta meta suis.
Quam dederint, septam Christi ducamus amore
prae studio mundi, et vita perennis erit.
5 Hanc tibi prae curtae concessam stamine vitae
Quis, Carole, invideat, qui prece volvit, homo?*

GABRIEL ELVERING,
P.P.

2. Adr: Carl Georgii Agrarius – Aut: Ericus Holstenius (cf. 1) H, [Tartu UB]

EPICEDIU

*Non genus est hominum, non aetas, nulla propago,
Quam non ad tumulum Mors furibunda trahit.
Agrarius, nostris quondam qui clarus in arvis
Luctifica et Mortis falce promptus obit.
5 Denati exuvias rigida tumulamus in urna.
Spiritus ast repetit culmina celsa poli.*

Haec inter lacrymas et suspi-
ria posuit
M. ERICUS HOLSTENIUS,

³¹ H in margine calamo scriptum ubi?

Westmannus,
Hebr. et Graec. Ling. P.P.

3. Adr: Carl Georgii Agrarius – Aut: Olaus Wexionius (cf. 1)

H, [Tartu UB]
EPICEDIUM

*Ingenio totus poliendo deditus, alma
Dum visis nostri CAROLE fulcra Lycei;
Ingenii summus formator Te vocat ecce,
Ad superos, vere doctus ut esse queas!*

In piam memoriam pie denati Ju-
venis sc.

M. OLAUS WEXIONIUS,
Polit. et Hist. Prof. Ord. ac Fac.
Phil. p.t. Decanus.

4. Adr: Carl Georgii Agrarius – Aut: Georgius Preusius (cf. 1)

H, [Tartu UB]
EPICEDIUM

*Tota vanescit tenues in auras
vita; nam blandae breve ver juventae
transvolat, pansi spaciū juventae
aufugit alis!*

5 *Inquies morbis miseris senectus
et metu lethi labat implicata;
Quid vagis longos igitur querelis
poscitis annos?*
AGRARI, plusquam quater es beatus
10 *coelites inter cumulatus almo
gaudio, finem cui nullus adfert
terminus orbis.*

M. GEORGIUS PREUSIUS,
Professor Publ.

5. Adr: Carl Georgii Agrarius – Aut: Olaus Salenius (cf. 1)

H, [Tartu UB]
EPICEDIUM

*Παραίνεστις
Ex Syrac. c. 42. v. 5.*

*Quid trepidat pavida tibi tunc formidine pectus,
haeret dum memori mente suprema dies?
Mente tene fida, cunctis quod sit moriendum,
nec sit homo, quem non aspera fata premant.
5 Hanc etenim legem statuit carni DEUS omni:
Non rara stant ulli fila tenenda manu.*

Ultimo beati sui Popularis
honori scrib.
OLAUS SALENIUS,
Pastor in Ringen.

6. Adr: Carl Georgii Agrarius – Aut: Johannes Luth (cf. 1)

H, [Tartu UB]
EPICEDIUM

EPITAPHIUM.

Noscere si vitam gestis, rogo, perlege carmen,

quod busto inscripsit (Lector) amica manus.
 Me genuit, tenerum et fovit Westmannica Terra,
 mi juvenique eadem Patria dulcis erat.
 5 Intendi studiis animum, cupique per artes
 fervidus in patriis excoluisse Scholis.
 Florida post placuit Parnassi visere tempe:
 Musarum exceptit Dorptica clara domus.
 Integrae Olympiadis, Dorpati tempora vixi,
 10 mors (heu) me juvenem pallida nunc rapuit.
 Miraris fati causam, mi candide Lector,
 in promptu ratio est: pulvis et umbra fui.
 Aequa cur juvenes rapiat mors lege senesque
 desine mirari: pulvis et umbra sumus.
 15 Tu quoque, si quaeris, quid nunc sis? quidquid futurus?
 Responsum ferto: pulvis et umbra. Vale.

Beate Defuncto erectum

a

M. JOHANNE LUTH.

7. Adr: Carl Georgii Agrarius – Aut: Andreas Hellenius (cf. 1)

H, [Tartu UB]

EPICEDIUM

*Natus ego, vixi, studui, sed nunc requiesco,
 flens, sex lustra miser, Artibus, in Domino.*

Quo Disticho vitam beate Defuncti
 (tanquam de se ipso loquentis)

comprehendit

ANDREAS HELLENIUS,
 L.L. Stud.

8. Adr: Carl Georgii Agrarius – Aut: Nicolaus Garfluvius (cf. 1)

H, [Tartu UB]
 EPITAPHIUM

EPITAPHIUM.

*CAROLUS in terris requiescit AGRARIUS atris,
 ardens quam rapuit, mortis imago febris.
 Frugifer, et patiens, sectando semina verbi,
 attulit is fructus, fertilis instar agri.*

5 *Sedulus ut vixit sanctae pietatis amator,
 Incola sic coeli, gaudia multa capit.*

In ultimum pie defuncti
 honorem app.
 M. Nicolaus Garfluvius.

9. Adr: Carl Georgii Agrarius – Aut: Ericus Wintrosius (cf. 1)

H, [Tartu UB]

EPICEDIUM

Prosopopoeia pie Defuncti.

*Efferor ad tumulum defunctus AGRARIVS: escam
 carnivoris jamjam vermbus ipse dabo.*

*Quod vos estis eram, qui me nunc ducitis, et nunc
 quod sum factus ego, vos eritis pariter:*

5 *Ac eritis citius quam forte putatis: homullis*

*vobis incertum quid magis esse potest?
 Hinc se non opibus dives, non robore fortis,
 nec florens annis jactitet hic juvenis.
 Certa est mors vobis, incerta est omnibus hora:
 10 Qui sapit, est mortis nocte dieque memor.*

Ericus G. Wintrosius.

10. Adr: Sven Alinus – Aut: Petrus S. Lidenius (Disputatio philosophica de virtute heroica; quam, in /.../ Academia Gustaviana Adolphina /.../ sub moderamine /.../ Petri S. Lidenii, log. ac ethices professoris /.../ publicae /.../ censurae /.../ ventilandam exhibet Sveno Alinus, /.../ ad diem <> Martii. Dorpati Livonorum, 1655: J. Vogelius)

Tartu UB

GRATULATIO

*Praestantissimo et humanissimo
 Dn. RESPONDENTI.*

*Virtutum non ima tuum, doctissime Aline,
 Solers pertractat, summa sed ingenium,
 Auguror inde et Tu, quod non subsistis in imis,
 Alta petis, nisum dum juvat ipse Deus.
 5 Ipse Deus minimos magnos qui reddit, egenos
 Surgere et ex imo pulvere qui ipse facit.*

Ita gratulor
PRAESES.

11. Adr: Sven Alinus – Aut: Olaus Wexionius (cf. 10)

Tartu UB
GRATULATIO

*Afflatus Domini bonus Arteve Marteve magnum
 Prae cunctis Heros quem facit esse solet.
 Quod cum perpendas sub Claro Praeside ALINE
 Heroum dignus semper amore clues!*

In felix omen, L. Mque utut occupatis-
 simus scrib.

M. Olaus Wexionius,
 Polit. et Hist. Prof. ord. et Fac.
 Philos. p.t. Dec.

12. Adr: Sven Alinus – Aut: Benedictus Andreae Humble (cf. 10)

Tartu UB
GRATULATIO

*Ad Praestantiss. et Doctiss.
 Dn. Respondentem.*

*Perdoctum specimen monstrans doctissime ALINE
 Edis defendisque hasce Theses: voveo!
 Annuat Omnipotens summi moderator Olympi,
 Coepisque hisce tuis ipse Deus faveat.
 5 Omnia quo vergant in laudem cunctipotentis!
 Gratulor et precor ut Te regat ipse DEUS.*

Sinceri affectus et infucati amoris E.
 apposuit
 Benedictus Andreae **Humble** /
 Smal.

13. Adr: Sven Alinus – Aut: Olaus Juncaeus (cf. 10)

Tartu UB

GRATULATIO

Res magna est, fateor, Doctorum scripta virorum,
 Assiduo studio perdidicisse bene:
 Nam verum certe est, coluisse fideliter artes
 Emollit mores, nec sinit esse feros.
 5 Gratulor inde tibi tenui sed carmine, amice,
 Qui doctos inter, Sympatriota, alios
 Doctorum legis hic vestigia amoena virorum:
 Queis tandem doctus, scandis ad alta pie!
 Perge velut pergis studiis incumbere honestis,
 10 Sicque DEO gratus, charus erisque tuis.

Domino Sympatriotae Amico suaviss.
 hisce gratulab.
 Olaus Juncaeius,
 Calm.

14. Adr: Gustav Appelbom – Aut: Zacharias Klingius (Justa funebria manibus piis /.../ Gustavi Appelbom,
 /.../ Johannis Appelbom de Sammhof et Kärefer, etc filii /.../ XXVIII. mensis Septembris die an. /.../
 M.DC.LII nati, III.v. die Martii an. M.DC.LV. /.../ denati, et X. Aprilis ejusdem, /.../ Dorpati in Templo
 Cathedrali, quondam D. Mariae sacro, terrae gremio mandati; ab amicis et condolentibus persoluta. Dorpati
 Livonorum, <1655> : J. Vogelius

Linköping LB, [Tartu UB]

EPICEDIUM

Ad Nobilem pie Defunctum.

*Nullus fallaci sibi Spe promittere Vitam
 Longam, nec Senium velle videre potest!
 Hujus enim vitae tempus decrescit in horas;
 Mortuus est subito, qui modo vivus erat!
 5 APPELBOM vita doces hoc GUSTAVE fugaci,
 Ex animo mutans deteriora bonis!
 Letho sublatus licet es, vitale relinquens
 Lumen, at intrasti gaudia summa Poli!*

Nobilissimos et tristissimos Parentes,
 amicos suos integerrimos, hisce
 consolari voluit
 ZACHARIAS KLINGIUS, D.
 per Livonię Superintendens, et Re-
 giae Acad. Dorp. V-Cancellarius.

15. Adr: Gustav Appelbom – Aut: Gabriel Elvering (cf. 14)

Linköping LB, [Tartu UB]

EPICEDIUM

Ad Nob. Parentem.

*Quod Te Filiolus, quod pignus amabile liquit,
 Non factum temere nec sine mente DEI.
 Filiolum dederat Numen nunc jure reposcit,
 Blanditias miscet tristitiaque minas.
 5 Quae toleranda piis ea non sunt poena malorum,
 Constanter vires sors animi haecce probat.
 Filiolum terris exemit amica voluntas,
 Ut vivat gaudens ante DEI faciem;
 Non igitur longo pergas tabescere luctu!
 10 Asvescat duris mens peramica DEO!*

GABRIEL ELVERING,
S. Th. Prof. Ord.

16. Adr: Gustav Appelbom – Aut: Olaus Wexionius (cf. 14)

Linköping LB, [Tartu UB]
EPICEDIUM

*Sicne tener moritur magni spes magna Parentis
GUSTAVUS, niveis moribus ille Puer?
Non moritur: coeli sed ad alta palatia tendit;
Ne tetri hunc mundi polluat ulla Lues.*

EPITAPHIUM.

5	<i>QVI. HAC. TRANSIS. HOMO. CONSISTE. PAVLVLM. ET. MORTALITATEM. RECORDARE. QVAM.</i>
10	<i>TE. DOCEBIT. GUSTAVUS. APPELBOM. JOHANNIS. FILIVS. ANIMI. CORPORIS. ET. FORTVNAE.</i>
15	<i>DOTIBVS. HAVD. PARVM. QVONDAM. EXORNATVS. PVERVLVS. CVI. PRIMA. HVIVS. VITAE. SPATIA. INGRESSO. INVIDA. FATA.</i>
20	<i>III. D. MENSIS. MARTII. A. M. DC. LV. MANVS. INJECERE. CVM. FVGACIS. AEVI. NVMERASSET. ANNOS. DVOS. MENS. V. DIES. VI. CORPVS.</i>
25	<i>HIC. SEPVLTVM. JACET. ANIMA. IN COELESTI. VIVIT. BEATORVM. CONSORTIO. EXCELSIOR. OMNIBVS. IIS. QVAE. MVNDVS. TERRENA. CVRANS. SVSPICIT.</i>
30	<i>TANTVM. EST. QVOD. TE. LECTOR. SCIRE. VOLUIT.</i>
35	

Paucula haec in sempiternam pie de-
functi memoriam scribens.
M. OLAUS WEXIONIUS,
Polit. et Hist. Prof. Ord. ac p.t.

Fac Phil. Decanus.

17. Adr: Gustav Appelbom – Aut: Johannes Luth (cf. 14)

Linköping LB, [Tartu UB]
EPICEDIUM*Jacob. 4. versic. 14.*

Vita quid est hominum? Tenuis quid luminis aura,
 Quam Sors ancipiti caeca favore regit?
 Nil nisi arenosus dispersus in aethera pulvis:
 Temporis ac spatiis clauditur exiguis.

Occupatus scribebat
M. Johannes **Luth.**

18. Adr: Gustav Appelbom – Aut: Ericus Torsk (cf. 14)

Linköping LB, [Tartu UB]
EPICEDIUM

Nasci, denasci, res est creberrima, flores,
 Nasci denasci nos quoque fata docent:
 Ver violis dives: Violae nascuntur, eaedem
 Mox denascuntur. Jam violae instar homo est.
 5 Instar homo est floris, non raro, ubi nascitur, idem
 Occidit, ad mortem proxima vita via est.
 Testis erit nobis GUSTAVUS, morte peremptus,
 Nascitur hic, mox denascitur ut viola.
 Ponite sed luctum genitor materque, virebit
 10 Ceu viola in veris limine perpetui.

Condolenti animo et calamo
scripsit
Ericus **Torsk.**

19. Adr: Claus Fehrmann – Aut: Johannes Sternstrahl (Klag- und Trost-Gedichte, über den Seel. Hintritt Des /.../ Herrn Clauß Fehrmann, Bürgers und Eltesten der grossen Gülden zu Dorpat; Welcher, nachdem er 40. Jahr und 4. Monat seines Alters erreichtet, den 9. Aprilis itztlauffenden 1655sten Jahres durch den zeitlichen Tod aus diesem Leben abgefördert, und folgendes den 16. desselben Monats /.../ in der Kirchen zu St. Johan. alhier zur Erden bestätigt worden; /.../ aufgesetzt von Mitleidenden Hertzen. <Dorpat, 1655>; J. Vogel)

Linköping LB, [Tartu UB]
EPICEDIUM

*Temet speraram salvum, rebusque secundis,
 Secula victurum Nestoris esse senis:
 Quo lecti sociae possis servire pudicae;
 Charis prodesses pignoribusque tori.
 5 Ecce sed (heu miserum) medio sub flore virili,
 Te proprio fato Mors inopina rapit.
 Sic non haec vires, non respicit haecce juventam,
 Cogit sed cunctos Mortis adire viam.
 Non autem in video tibi FEHRMAN gaudia Coeli,
 10 Ad quae translatus, queis fruerisque bene:
 Anxietas miserum turbat sed plurima pectus,
 Quod nimium subito (en!) eripiare mihi.
 Hinc coeli supplex veneror terraeque Monarcham
 Relictam viduam protegat ipse tuam.*

Inter gemitus et suspiria scribebat
JOHANNES **Sternstrahl** /

20. Adr: Claus Fehrmann – Aut: Olaus Wexionius (cf. 19)

Linköping LB, [Tartu UB]
EPICEDIUM

Ad impense moerentes obitum
DN. NICOLAI Fehrmann/
 Viri quondam integerrimi et Civis Reip. Dorpatensis primarii.

Qvorsum tot gemitus? vivit, meliore receptus,
In coelum Fehrmann/ parte sui incolumis!

scr.
 M. OLAUS WEXIONIUS,
 Prof. Publ. et Fac. Phil. p.t. Decan.

21. Adr: Nicolaus Holstenius – Aut: Zacharias Klingius (In praematuram /.../ patriam coelestem migrationem, /.../ Nicolai Holstenj /.../ Erici Holstenii, Graecae et Orientalium linguarum, in /.../ Athenaeo Gustaviano, quod Dorpati Livonorum floret, professoris /.../ filii, ex /.../ Dorothea von Wickeden, secundo geniti /.../. Qui an. 1654. die 4. Julij /.../ natus, die /.../ 6. ejusdem renatus, /.../ 14. die Decembris an. 1655. /.../ denatus est: /.../ cujusque corpusculum, majorum sepulchro, quod in aede Divo Johanni quondam sacra est, 20. Decembris anni 1655. inferebatur carmina funebria, /.../ a collegis et amicis scripta. <Dorpati, 1655>: J. Vogelius)

UUB, H, [Tartu UB]
EPICEDIUM

Dum titubat mundi moles, rapidoque furore
Attrahitur rebus vasta ruina bonis:
In DOMINO moritur, nihil est cui certius, HAERES
Qvam sit donantis Coelica Regna Dei!
 5 *Illius ergo Pater moestos deponito luctus,*
Tristari NATI ne videare bonis!
Praecessit paulum: Cum Te quoque fata vocarint,
Rursus in Elysiis Convenietis agris!

In memoriam Beatissimi Filioli et solarium
 tristissimi Parentis, amici sui integerrimi
 scribebat
 ZACHARIAS KLINGIUS, D.
 per Livoniam Superint. et Acad.
 Dorp. V. Cancellarius.

22. Adr: Nicolaus Holstenius – Aut: Henricus Hein (cf. 21)

UUB, H, [Tartu UB]
EPICEDIUM

Ipse Deus nobis concessit munia vitae,
 Jure igitur, cum vult, repetit illa suo.
 Abreptus fateor gnatus, collega, sed a quo?
 5 Jova. Ergo lachrymis ponere disce modum.
 Filius ille tuus jam cum genitrice triumphat
 Et fratre, exultans vivit ovatque DEO.
 Gaudet quod sacra lotus baptismatis unda
 Ipseque sit magni factus imago Dei.
 Quodque brevi hac vita peccati mole nequivit
 10 Contemerare polum, contemerare solum.
 O te felicem, cui jam valedicere mundo
 Contigit, et celsi gaudia adire poli!

Te sine fine manet nullis objecta periclis³²
 Vita, sed, eheu! nos sors inimica premit.
 15 Nil tibi Morta nocet, nil te fera bella fatigant:
 Nobis mors et Mars cuncta timenda facit.

Debitae condolentiae ergo
 HENRICUS Hein / U.J.D.
 Professor p.t. Academiae Rector et
 Dicasterij Regij supremi
 Adsessor.

23. Adr: Nicolaus Holstenius – Aut: Gabriel Elvering (cf. 21)

UUB, H, [Tartu UB]
EPICEDIUM

*Morte tuae sociae dolor haud gemitusque repressi,
 Solamenque mali gnatus, dum vita manebat.
 Sed subito ante dum cadit unica, spes tua, proles!
 Quis potis est fletu tantos explere dolores?
 5 Sed tamen esto modus, nimis indulgere dolori,
 Quid juvat, et planctus miserasque ciere querelas?
 Stet peramica DEi semperque paterna voluntas?
 Dura licet tibi nunc videatur; at exitus olim
 Eventusque dabunt, natum superasse pericla,³³
 10 Quae nos forte manent, Huic jam fortuna peracta,
 Cum superis paeana canit, ridetque labores,
 Et vanas hominum curas, Martisque furores:
 Quos miseri metuunt dubij inter spemque metumque.
 Tu solita pietate, fide doctoque labore
 15 Siste tuos gemitus, luctum, suspiria, planctus!*

Sic Praeclarissimo Dno Collegae, Compatri et
 Amico suo condolet
 GABRIEL ELVERING,
 SS. Theol. Prof. Ord. et Biblioth.
 Regius.

24. Adr: Nicolaus Holstenius – Aut: Petrus Lidenius (cf. 21)

UUB, H, [Tartu UB]
EPICEDIUM

*Ad honoratissimum Dn. Collegam, tertium jam familiae
 suaे vulnus saucio corde, sentientem.*

Amisisse putant, qui Te, tua pignora chara,
 optimam et uxorem et natum pulcherrimum utrumque!
 Sic factum esse gemunt, plorant, lugentque dolentque:
 Cum Te non dignum duro hoc fato bene norint;
 5 Ast Ego, qui credo Te non cimelia tanta
 amisisse; illum sed praemisisse, ubi cuncorum.
 est nostrum patria, et quo tandem tendis et ipse,
 asservantur, ubi in Coelesti gaudio amaeno:
 Praedico Te felicem, et terque quaterque beatum,
 10 Quippe loco tam seculo qui tanta reposta³⁴

³² *periclis* pro *periculis* edd metri causa³³ *pericla* pro *pericula* edd metri causa³⁴ *reposta* pro *reposita* edd metri causa

Pignora habes! Dives si censemur bene tuta
 In theca qui condita habet quae possidet: annon
 dicendus merito meliori nomine dives?
 Ista qui in patria, sua habet servata, ubi nulla,
 15 vis praedatorum quicquam aufert, vel rapit unquam?
 Hinc moderare tuum, mi collega optime, luctum!

Scribebat
 M. PETRUS LIDENIUS,
 Prof. P.

25. Adr: Nicolaus Holstenius – Aut: Olaus Wexionius (cf. 21)

UUB, H, [Tartu UB]
 EPICEDIUM

Ad Clarissimum maximeque eximum PARENTEM,
 FILIOLI SUI exequias affectu moestissimo cele-
 brantem;

*Sicne tuis, VIR CLARE, adversis casibus addi
 Debuit hoc vulnus, tam grave tamque nocens?
 Jam duo sunt, et, si numeret quisquam, amplius, anni,
 Ex quo FILIOLUS mortuus ille tuus,
 5 (Primo Conjugii fructu quo Laetus ovabas)
 Vix quum vixisset septuaginta dies!
 Hinc vero ante annum, cum quinque mensibus, unum,
 Decessit CONJUNX ILLA ADAMATA TIBI:
 Cui CHARITES formam faciles tribuere decoram,
 10 Quam VIRTUS cunctis artibus expoliit,
 Nec satis id SOCIAM demessam tam cito, pro qua
 Pensasses vitae tempora cuncta libens;
 Sed cadit insuper et nunc alter FILIUS (eheu)
 Fitque Patri funus tristius ante diem!
 15 Unde dolor Te quum tantus, sub pectore fixus,
 Verset, VIR CLARE ac saevus adusque premat;
 Id precor, ut Dominus solatia conferat ipse,
 Quis Luctus tolli, quis minuive queat:
 Utque Tuis quod praeripuit, MORS INVIDA, vitae,
 20 Hoc Tibi victuro proroget ulterius.*

Condolens scr.
 M. OLAUS WEXIONIUS,
 Pol. et Hist. Prof. Publ.

26. Adr: Nicolaus Holstenius – Aut: Georgius Preusius (cf. 21)

UUB, H, [Tartu UB]
 EPICEDIUM

Quae fata? Legis aequioris nescia
 Aetata parcunt obrutis longissima,
 Tetra juventae falce robus demetunt:
 Quis ordo rebus imperat mortalium?
 5 Fixusne vel nutantibus repagulis
 Ruens? Quis ardui doloris ignibus
 Adfundet imbrex largius, praecordia
 Aestu levantem? Crebra cogitatio
 Meta parentis vanitatis, singula

10 Quae nostra vertat indies negotia.
Trunco cadentia more fructus praecocis
Primus reliquit lucis usum filius,
Paulo ante dias lucis auras hauriens,
Quam casta prolem sequitur annis floridis
15 Genitrix; in huius properat amplexus modo
Gnatus secundus, patris optimi graves
Curas tenella dissipans lingua procul.
Vulnus recessui cordis ingens intimo
Minace telo sortis inflictum asperae!
20 Quod spes beatae leniet vitae stabilis:
Hanc quisquis usque mente forti volverit,
Quid quid minetur cladis aedibus ingruens
Procella fortis, tradet integer impigris
In turgidos portate ventis gurgites,
25 Amore coeli perferetque tetrica!
Haec tibi, vir arte clare linguisque varijs,
Multum dolenti fata chari filij
Lenimen addet aptius meditatio:
Cum matre teneri sede gnati caelica
30 Metu soluto, aeterna cantat jubila,
Nec vanitatis ulla prodit portio.

Condolentiae testandae causa festino calamo
adposuit

M. GEORGIUS PREUSIUS,
P.P. Collegii Philos. p.t. Decanus.

27. Adr: Nicolaus Holstenius – Aut: Petrus Simonius Loefgreen (cf. 21)

UUB, H, [Tartu UB]
EPITAPHIUM

EPITAPHIUM.

NICOLAUS HOLSTENIUS
Viri Praeclarissimi ac Eruditionis fama celebris
M. ERICI HOLSTENII
In Academia Dorpatensi, Linguarum Graecae et Hebraeae
5 Professoris Publici:
Tum Praestantissimae olim, singularisque exempli Feminae
DOROTHEAE VON WICKEDEN
(jam beatae recordationis) Filius fuit.
Hic, quod Anno Christiano, supra millesimum, sexentesimo
10 Quinquagesimo quarto, pridie Nonas Julii,
Orbi datus et luci; intraque hoc, quod decucurrerat,
Tempus, Anni sequentis, vicissim ereptus esset,
Grande fluxae et instabilis humanae vitae documentum dedit.
15 Sed tanto exemplo vel non dimetiri quemquam oportere
Singula mensium annorumque puncta ostendit;
Vel aetatem non illam esse felicissimam probavit;
Quae aut robore, aliisque Naturae muneribus floreret,
Aut ad ultimam senectam se porrigeret:
20 Sed illam tandem, quae cum jam suprema dies adesset,

Seu id serius accideret, seu maturius,
Beato laetoque exitu terminaretur.
Porro quod genus ducat, monstrare Titulus potest:
Si tamen imagines quaeras, aut Majorum expressos vultus,
25 Illa omnia Nobilitati concedit:
Claritate hac contentus,
Quam vel felicior indoles tribuit, unde virtus nasci solet;
Vel splendor Patris dedit; Qui jam non vetustate
Stirpis, sed omni potius Studii doctrinaeque genere clarus erat
30 Nisi aetas adhuc tenerior fuisset, etiam de vultu
Totaque corporis forma judicium ferri potuisset.
Quanticunque tamen Infantia, Primique Anni
Vigoris capaces esse possunt,
In illo id omne manifeste apparuit.
35 Amoeni certe ingenii, hilarisque frontis erat.
Ut non nisi commodissimos mores, tam mitis
Et temperata Constitutio polliceri deberet.
Sed nihil vel oris decus, vel mentis agilitas prodest,
Cum jam fatalis urget vis.
40 Igitur gratiosus ille vultus, illa indoles alacris,
Ut haustum jam vehementioris morbi virus fuit,
Defecit, ac intra paucos dies,
(Quod in eo corpusculo facile erat) periit.

Monumentum posuit
PETRUS Simonius LOEGREEN,
Eloq. et Poës. Prof. Publ.

28. Adr: Christina Gustaviana Horn – Aut: Rector et professores Academiae Dorpatensis (Post nubila Phoebus. Auff die Trübsal, wird folgen ewiges Labsal. Erkläret aus dem 7. Capittel der Offenbahrung S. Johannis Bey Christlicher Sepultur des /.../ Fräuleins Christinae Gustavianae Horns, geborner Freyherrinnen zu Marienburg, Des /.../ Gustaff Horns Everdsons, /.../ GeneralGouverneurn über Narva, Ingermanland und Kexholm, etc. Wie auch General Leutnants über die Cavallerie, etc. /.../ Töchterleins, Welches den 25. Tag Maji des 1655. Jahrs durch einen /.../ Todt von dieser /.../ Welt abgefördert, und den 27. Augusti desselbigen Jahres in der Thumkirchen zur Narva /.../ zur Erden bestätigt worden, von /.../ Salomone Matthiae, gewesenen Prof. Publ. Linguar. Oriental. und SS. Theologiae zu Dorpt, anitzo aber der Deutschen Gemein~~d~~e zur Narva Pastore. Dorpt, <1655>: J. Vogel) H, UUB, [Tartu UB (def)]

EPICEDIUM

EPICEDIUM
In praematurum Obitum
GENEROSSISSIMAE VIRGINIS
CHRISTINAE GUSTA-
VIANAE HORNIAE,
L. Baronissae, etc.

a

Rectore et Professoribus Academiae
Dorpatensis condolentiae testandae
scriptum.

*Tempora cur fragili vitae spaciosa vovemus,
Qyum plures anni tormina plura vehant,
Atque, senem quamvis Pylium vitalis adaequet
Cursus, producta desinat ipse mora,*

- 5 *Nemo etenim fixas natura vertere leges
Est potis, ut vitet vincula dura necis.
Ergo, quod pectus vani fastidia torquent,
Emitti claustro corporis usque petit.
Et quo nos citius per mortem fata reposcunt,*
- 10 *Labis eo minor est culpa nefanda gravis.
Quare maturam trepida formidine mortem
Haud metuas, per quam vita beata patet.
Vita beata patet natae de stirpe parentum
Illustri, Gazis anteferenda Tagi.*
- 15 *Hanc quis et invideat, quae celsum nomen avorum
Coelitibus junctum corde micante videt,
Ex nato natam blandis amplexibus HEROS
Hornius in coelis excipit atque fovet;
Hornius ingenti Russorum strage celebris,*
- 20 *Hornius, historiae quem monumenta canunt.
Hoc, Heros patriae meritis notissime, vultu
Abstergat lachrymas, pectore tristitiam.
Hoc, genitrix generosa, tibi suspiria sistat
Temperet et fletus, queis maduit facies.*
- 25 *Decidit ipse quidem flos corporis ante senectam,
Coelesti ast animus flore perenne viret.
Angelicas miscet turbis generosa propago
Et promit tenero gutture dulce melos.
Ante oculos Domini candardis vestis amictu*
- 30 *Stat, cingit crines laurea pulchra novos.
Arbitrio coeli nostros agitarier actus
Christicolae petimus pectore, voce, prece,
Scimus et in toto nullam sine numine mundo
Rem volvi casu fortuitoque vehi:*
- 35 *Cura quid indultos eventus excipit aegra,
Consequiturque dolor, quo caluere preces?
Sors igitur gnatae praemissae gaudia cordi
Procreet, ut totum flagret amore poli.
Namque dies mundi supremus dissociata*
- 40 *Consociaturus filiolos Patribus,
Patres filiolis et gnatas matribus almis
Et matres gnatis restituet placidis.*

29. Adr: Christina Gustaviana Horn – Aut: studiosi Academiae Dorpatensis (cf. 28)

UUB, H, [Tartu UB (def)]
EPICEDIUM

In Funus
Generosissimae Virginis
 CHRISTINAE GUSTAVIANAE HORNIAE,
 Liberae Baronissae, etc.
 Colloquium Parcarum
 a Studiosis Dorpatensibus
 scriptum.

Homo.

*Dura quis et nimium mortalibus invida, Parcae,
 (Sed minime) Vobis pectora distribuit?
 Cur non est vestrum mortalibus addere vitam, et
 Prolongare dies, sed celerare necem?
 5 Heu nobis miseris! quot nos incommoda torqueant,
 Hoc, isthoc veniunt mille timenda loco.*

Clotho.

*Nunc colus illa meis manibus tractanda relicta
 Procedat, placeat volvere sponte rotam:
 Volvere sponte libet; video nunc namque Sorores
 10 Torpida in officio membra movere suo.
 Nonne ego festinem? nobis haec parvula grata,
 Haec nostro plane vivere digna choro.*

Lachesis.

*Si quid docta potes manus, omnes exprime vires,
 Ducere mox tenta pollice fila brevi:
 15 Crassa nec incipias, placeant cum crassa Sorori
 Nulla, sed electa, qua potes, arte rege.
 Nobilis haec virgo, quae Celso nata parente,
 Displacet haud nobis, hoc sedet illa loco.*

Atropos.

*Forfice progredior per acuta, fila secare
 Mens est, ne tendas longius illa Soror.
 Efficiam tantum, genitor quo quaeritet usque,
 Sed frustra sobolem, quam superesse dolet.
 En factum est: Venias nobis tu parvula Virgo,
 Jo venias citius, sis quoque nostra comes.
 25 Hei vos percharae, doctae duraeque Sorores,
 Ut mihi sic Vobis muneris ardor inest.
 Sic nostras vires discent cognoscere cuncti
 Et nullum numen majus adesse scient.*

Homo.

*Summe Deus, Divis hae quantum laudibusaudent
 Detrahere, hae spondent viribus omne suis.
 Quid vos? quid vobis? quae vestra potentia, Parcae,
 Annon sentitis singula posse DEum.
 Et quid spondetis vestrae sedique choroque,
 Hanc nunc denatam, morte premente, pie.
 35 Sic placuit Domino, qui summus Rector Olympi
 Disturbare polum et cuncta novare potest.
 Huic soli vis est dare vitam, pellere mortem,
 Huic soli vis est, morte necare suos.
 Vivitis, et semper vos spe vivetis inani,
 40 Effugiet vestros haec aliquando choros
 Spiritus in manibus Domini nunc sancta tuetur,*

Fiet et haud unquam gloria adepta minor.

30. Adr: Martin Jemerling – Aut: Gabriel Elvering (Placida ac beata piorum εὐθανασία, Die seelige Friedefahrt der gläubigen und außerwehlten Kinder Gottes aus diesem Jammer- und Thränen-Thal in den Himlischen ewigwehrenden Freuden-Saal. Das ist: Ein kurtzer und einfältiger Vnterricht, wie sich fromme Christen sollen erzeigen und verhalten, wenn sie dermahlneins mit dem alten Simeon im Friede aus dieser Welt fahren, /.../ wollen, Welchen Anno 1655. auf Mariae Lichtmess bey Bestätigung Johann Adam Klotzen, eines Bürgers und Weinschenken zu Dörpt, und seiner lieben Haussfrauen Annae Wyeberg /.../ mitgetheilet und fürgetragen /.../ Martinus Jemerlingius, Past. primar. ad D. Joh. daselbst. Dörpt in Liefland, <1655>; J. Vogel)

EAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Ad pl. Reverendum, Clarissimumque

Virum,

DN. M. MARTINUM

Jemerling/ Past. Dorpatensem

primar.

Sermones Sacros de EUTHANASIA
edentem.

*Heu mundus studiis immersus inanibus errat
Et rectum nescit tangere mente scopum!*

*Hic auri nimium flavi torretur amore,
illum semper agit sordida cura gulæ.*

5 *Discolor huic vestis decorat splendore lacertos,
tergeminis tolli laudibus ille cupid.*

*Hic longae vitae longa spe concipit annos,
credulus hoc nasci gaudia firma solo!*

*Ille per ignotas gentes jactatur et urbes,
actibus et finem destinat huncce suis.*

10 *Hic saevos hostes ferro mactare cruento
et telis satagit figere vulnificis;*

*Ille sed optata captat sub pace profani
gloriolam vulgi et corde superbit iners.*

15 *O stultas hominum curas, queis turpiter aetas
obruitur, finis immemor et solidi.*

*Felix ille animi, quem mortis cura beatae
nocte dieque subit plurima sorte bona.*

*Non illum illecebrae deflectent tramite recto,
nec stabili excutiet Gaza caduca gradu.*

*Sed placida vitam commutans morte misellam
aeternas coeli colliget ipsus opes.*

*O felix studium, tam divo munere fultum,
quo nec Aristotelis pertigit ingenium!*

25 *Ergo sapiis melius, Pastor reverende, quod artem
hanc tradas ovibus voce notisque sacris.*

*Gloria Te propter tam celsum dogma sequetur
firma, tuum nomen posteritasque colet*

*Sic facunda feret mercedem lingua laborum,
quos tibi commissus praedicat usque chorus.*

30

Gabriel Elvering,
P.P.

31. Adr: Johannes Steph. Klingius – Aut: Georgius Preusius (Disputatio psychologica de sensibus; quam, /.../ in /.../ Academia Gustaviana, sub praesidio /.../ Georgii Preusii, /.../ publico /.../ examini submittit Johannes Steph. Klingius, auctor et respondens, ad diem <> Junii /.../. Dorpati Livonorum, 1655: J. Vogelius)

LAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Si nihil intellectus habet, quod non ciat ante
Sensus, non minimum sensibus inde decus.*

*Non igitur tempus studio consumpsit iniquo
Ingenio scrutans sensa sagace diu.*

5 *Donec percipiat quid sensus, quidque prehendat
Quivis, quid corpus sentiat inde boni.*

*Nec cadet in vanum tua, KLINGI, cura subinde
Contemplata Physin, quam quoque sensa gerant.*

10 *Sed decus excipiet, splendor quod nominis auget,
Conatus pulchros, quos juvet ipse polus.*

Festino calamo gra-
tulab.
PRESES.

32. Adr: Detlaus Köllner – Aut: Johannes Megalinus (Disputatio ethica de amicitia; quam /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ sub praesidio /.../ Petri S. Lidenii, /.../ publicae censurae sistit Detlaus Köllner, /.../ Ad diem <> /.../. Dorpati Livonorum, 1655: J. Vogelius)

H, [Tartu UB]
GRATULATIO

PARALLELISMUS.
Semper conformis amico.

Organon eximum fert Practica docta Mathesis
Rite parallelas ducere quo poteris.

Contrahe, dilata, tamen usum praestat eundem
Fitque parallelis linea lineolis.

5 Sic faedus constans semper conservat *amicus*
Quod cupid ille cupid, quod negat ille negat.

Seu fortuna favens opibus *delatet* opimis;
Seu *tenues* census *c<u>rta* Penia dabit.

Hoc tu non scripto tantum meditaris *amice*,
Quin Tu quae scribis semper ubique facis.

10 Laetor, et his paucis tibi *vero grator* *amico*
Laetor et ingenium non latuisse tuum.

Hisce paucis vero suo et candido amico de eximiis
suis in studiis progressibus gratulor
JOHANNES MEGALINUS,
Philosoph. Candidat.

33. Adr: Johannes Petraeus – Aut: Olaus Wexionius (Discursus politicus de consiliariis; quem /.../ in Academia Gustaviana /.../ sub praesidio /.../ Olai Wexionii, /.../ eruditorum censurae submittet, et tueri conabitur Johannes Petraeus, auth. et respondens /.../ ad diem <> Junij, /.../. Dorpati Livonorum, 1655: J. Vogelius)

EAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Literis et moribus optime polito Juveni,
DN. JOHANNI PETRAEO,

Commensali et Affini suo dilectissimo.

Consilio *quum* plura geri, *quam* viribus ullis,
Constat; Nonne bonus Consiliarius est
Utilis? *Est vere!* *Quod JANE ut mente volutas,*
Grata facis Patriae, grata facisque PATRI!

Paucis hisce L. Mque gratulatur
PRAESES.

34. Adr: Johannes Petraeus – Aut: Georgius Preusius (cf. 33)

EAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Ad Praestantissimum Dn. Respondentem.

Laetitia Magno perfundis corda Parenti
Doctrinae praebens publica signa Tuae.
Ingenuum caeptum! pulchris vestigia Patris
Usque premens ausis laudis amore cales:
5 Laudis amore ratae flagrans et culmen adibis
Famae, qua volites docta per ora Virum.
Perge sacris operam Musis dare, certa manebunt
Illas sectatum gloria, fama, decus.

M. GEORGIUS PREUSIUS,
S.S. Theol. Prof. P. Extraord. et Phy-
sices ac Arithm. Ord.

35. Adr: Laurentius Erici Rydenius – Aut: Olaus Wexionius (Lessus in /.../ obitum /.../ Laurentii Erici Rydenii, in Regia Acad. Dorpatensi Musarum antehac sectatoris /.../ nati an. 1630. in paraecia Bellefors in Westro-Gothia, /.../ Dorpati /.../ an. 1655. 12. Junii denati, terraque gremio ibidem in Templo Cathedrali 22. ejusdem commendati; /.../ scriptus a fautoribus, praeceptoribus et amicis. Dorpati Livonorum, <1655>: J. Vogelius)

Karlstad StB, [Tartu UB]

EPICEDIUM

Floruit in violis modo flos jucundus. At ille,
Transiit ut ventus, nonne caducus erat?
Sic erat in terris flos hic RYDENIVS; Vnde
Terrea contemnens, coelica regna petit!

Sc.
M. OLAUS WEXIONIUS,
Polit. et Hist. Prof. Ord. et h.t. Fac.
Phil. DECANUS.

36. Adr: Laurentius Erici Rydenius – Aut: Georgius Preusius (cf. 35)

Karlstad StB, [Tartu UB]
EPICEDIUM

Non est multorum series prolixa dierum
Vita, sed eximia quod nitet arte caput.
Ergo dolor licet et lachrymis res digna sit, atra
Semotis terris pignora morte rapi:
5 Vita tamen longo satis est decursa tenore,
Quae divis studiis dedita tota fuit.
His animus RIDENI quia curis arsit, in amplum
Extendit vitam dotibus ingenii.
Hoc charum tristi moerorem corde parentum
10 Depellat, nati qui modo fata dolent
Parte sui vivit meliore relatus in orbem
Aethereum, sanctis miscet et ipse sonos.

M. GEORGIUS PREUSIUS.
Prof. Publ.

37. Adr: Laurentius Erici Rydenius – Aut: Johannes Luth (cf. 35)

Karlstad StB, [Tartu UB]
EPITAPHIUM

Epitaphium.

*Quem tumulus condat, gestis novisse Viator?
Mortalem, similem scito fuisse tui.
Non segni sacris vigilavi pectore Musis:
Virtutis cultor strenuus atque fui.
5 Mortuus en jaceo; Juvenili aetate peremtus:
Mitia hic expecto judicis ora mei.
Haec quicunque legis, Mortalem te esse memento,
Manibus atque meis aequa precatus, abi.*

Scriptum a
M. JOHANNE LUTH.

38. Adr: Laurentius Erici Rydenius – Aut: Ericus O. Holsteen (cf. 35)

Karlstad StB, [Tartu UB]
EPICEDIUM

Obtinet antiquum Clotho; Quia stamina vitae
Abrumpit, perdit; tristia secla³⁵ movet.
Tristia secla³⁶ movent crudelia Numina Parcae
RYDENIUM juvenem praecipitando cito!
5 Indeploratum quem non sub tartaro mittunt
Musae Embeciades; Nam pietatis amans
Et probitatis erat, vitam dum traxit in orbe,
Iccirco certe hunc aetheris aula tenet.
Så merker jag/ O Dö dh/ tig ingen kan unkomma!
10 **Tu tager hö g och lå g/ tu tager ond och fromma!**
Ach! Skal jag undra thet? Har tu för kå rten Tijd
Doch diärrffs att stiga up på Pindus gröna lijd
Som strax wed Embek ähr; ther som then klooka Skara
Och skö na Nimpfers Hoop/ the Muser/ pläga wara:
15 Ther har tu rö suat härt utti titt mö rka Land
En aff thet frija Folk som Phö bus medh sin Hand
Och medh sin starka Macht så plägar att fö rfwahra!
Att them ey nalkas mä then grymma Dö dzens Fahra:
Så seerjag thet ähr wist/ titt hå rda Tyrannij
20 Kan ingen här ungå ; kan ingen wara frij.

Sc.
Ericus O. **Golsteen.**

39. Adr: Laurentius Erici Rydenius – Aut: Olaus Dalinus (cf. 35)

Karlstad StB, [Tartu UB]
EPICEDIUM

Defunctus.

En, cinis ater eram, cineres nunc solvor in atros

³⁵ secla pro saecula edd metri causa

³⁶ secla pro saecula edd metri causa

Sed nitidum extremo corpus habebo die.
 Cerne, quid es? quid eris? cinis, in cinerem gradieris,
 Est tua vita brevis, transit ut aura levis,
 5 Gloria mundana est, quia non nisi visio vana,
 Est nae vita brevis, lubrica, poena, levis.
 Hinc fuge res viles CHRISTI fortissime miles.
 Morte cadunt subdita, sola manent merita.

Suspirans adjecit
 Olaus Dalinus.

40. Adr: Laurentius Erici Rydenius – Aut: Andreas Jonae Glavander (cf. 35) Karlstad StB, [Tartu UB]
 EPICEDIUM

Cur Mors in socium grassaris Pallida nostrum
 Torquendo manibus spicula dura tuis?
 Invida num forsan rapuisti; gaudia nobis
 Ne vita ferret: nunc tamen alta tenet.

Andreas Jonae Glavander.

41. Adr: Laurentius Erici Rydenius – Aut: Johannes Hinnelius (cf. 35) Karlstad StB, [Tartu UB]
 EPICEDIUM

Xρονόστιχον.
Personam, Annum et Mensem obitus ejusdem continens.

Hâr LJgger Jag Larß Eerßon kVLL;
tJLL stofft nV Jgen bLJffVen
J JVnI Må nat: LVstefVLL
wart oCh straXt BonJng gJffVen.³⁷

5 Moestus, amice, jaces, faedis nunc esca futurus
 Vermibus heu! Virtus quem tulit astra prope.
 Tu mihi charus eras praesens dum vita relicta;
 Mortuus ac abiens, tu mihi charus eris.

Amico quondam dilect. sc.
 Johannes Hinnelius.

42. Adr: Laurentius Erici Rydenius – Aut: Jonas Laurentii Lundius (cf. 35) Karlstad StB, [Tartu UB]
 EPICEDIUM

Ante diem subito cecidi vernantibus annis,
Perfossus quoniam cuspide mortis eram.
Discendi studio; sed paupertate gravatus,
Flagrans, ingenuis artibus incubui.

5 *Pectoris amplexus Christum penetralibus imis*
 Sincera et didici semper amare fide.
Ergo sudanti subvenit, meque levavit,
 Ducens ad regni, gaudia laeta, sui.

Ah qualem felix vitam jam transigo laetam
 10 *Quae Divos omnes semper amica manet;*
Discite quapropter mortales spernere mundum
 Quo vos haec maneat mansio laeta poli.

Piae condolentiae E. beate Defuncto

³⁷ Chronostichon annum 1655 exhibens

haecce reliquit
Jonas Laurentii Lundius.

43. Adr: Anna Sommer – Aut: Salomon Matthiae (Klag- und Trost-Schrifft An den /.../ Henricum Staheln, auff Neßnowa und Kallina Erbgesessen, /.../ Superintendenten des Fürstenthums Ingermanland, sampt Narva und Alletacken, über das /.../ Abscheiden der /.../ Anna Sommerin, seiner /.../ HaussEhren. /.../ von guten Freunden in Narva verfasset. Dorpat, 1655: J. Vogel) UUB (def), [Tartu UB (def)]

EPICEDIUM

Lilia nunc gravidi saturata adspergine roris
Exsurgent medio gramine laeta caput:
Ast ubi vel Boreas inimico flamine saevus
Aut grando invasit, lilia pulchra cadunt:
5 Sic homo vitalis saturus nutrimine succi,
Vivit et in vegeto corpore sanus ovat.
Sed si vel febris fibris inimicior haesit,
Aut aliis lethi nuncius, ardor, adest,
Langvet homo, jacet aeger humi, tumulatur humo mox,
10 Corpus et in cinerem quod fuit ante redit.
Edocet hoc tristi STAHLIO, SOMMERIA, fato
Quae vitare necis spicula non potuit.
Quotquot humus profert, tot humo debentur humandi,
At surgemus humo, cum venit illa dies,
15 Qua Christus nobis Verbo promisit adire
Cum grege Christicolum gaudia plena poli.

Klag- und Trost-Sonnet.

Zweymahl den Wittwer-Stand/ den Thränen-Stand ertragen
und durch der Liebsten Todt halbiertes Hertzens seyn/
ist mehr denn Hertzens-Noth/ ist mehr denn Hertzens-Pein:
20 **Denn einmahl ist fast viel/ drümb billig zu beklagen**
mein Herr und Freund/ Herr Stahl/ der uns hievon zu sagen
ein doppelt Klaglied weiß. Es muß sein **Stahl und Stein/**
der sich nicht lebt mit Jhm hie in Betrübniß ein/
doch soll und muß Er nicht gantz zagen noch verzagen/
25 gleich wie die Heyden thun/ die aller Hoffnung loß,
Er als ein Christ weiß wol daß GOttes Güte groß
das Er die/ die Er liebt für andern/ zu betrüben
auch für viel andre pflegt/ und soll versichert seyn/
daß Er/ weil Er Jhn itzt mit dieser Creutzes Pein
30 zum andern mahl belegt/ Jhn doppelt auch muß lieben.

Grabschrift.

Hier liegt die Frömmigkeit selbst/ Sie Frau Anna Stahl/
geborene Sommerin. Die Edle werthe Seele
hat hie das Erden-Hauß/ als eine schwache Höle
verlassen/ und lebt schon bey GOtt im Himmels Saal.

Συμπαθείας ἔνεκα scrib.

M. Salomon Matthiae,
Pastor Eccl. German.

44. Adr: Anna Sommer – Aut: Johan Sebastian Markard (Christliche Leichpredigt Gehalten bey /.../ Begräbniss Der /.../ Annae geborner Sommerin Des /.../ Henrici Staheln, Erbgesessen auf Neßnova und Kallina /.../ Superintendenten über Narva und Ingemanland, Ehelichen Haussfrauen, Welche den 12. Tag des Monats Martij dieses lauffenden 1655. Jahr /.../ entschlaffen und den 20. Junij /.../ in der Thum-Kirchen zur Narva zur Erden bestätigt worden, von /.../ Salomone Matthiae, der Teutschen Gemeinde daselbsten Pastore, und auff begehrten zum Druck übergeben. Dorpt, 1655: J. Vogel) EAB, [Tartu UB] EPICEDION

Trost-Schriftt.

Psalm. 74. v. 17

Sommer und Winter machest Du / GOTT !

Aestas non semper fuerit, qua gaudia vernant:
murmure cum rauco mox remeabit hyems.
Verum aestas et hyems JOVA auspice surgit abitque:
aethram³⁸ qui utramvis ferre seit, ille sapit!

5 Grosser Freund/ dem ich vor Jahren
in der rauhen Winterzeit
schrieb auf seine Sommerfreund
ein geneigtes Lied/ wie fahren
so gantz unvermuhtlich nun
10 Eures Glückes runde Scheiben/
indem Eures Herzens Blum
kan im Sommer nicht bekleiben?

2.
15 Als die Sommerin Euch freite/
war das Land ins Eis verstekt
und mit Schnee gantz überdekt;
Nun da Ihr gebt das Geleite
Ihr zu ihrem Ruhebett/
ist der Sommer aussgelassen/
in dem gleich als in die Welt
20 Blüht und Blumen sich befassen.

3.
25 Worauf wolte mans doch geben?
Ruh es nur das blinde Glück?
Oder lässt solche Tück
ein Verhängniss ob uns schweben/
dass uns gantz ist unbekant?
Nein! Was wir nicht wissen können/
weiss Der/ der längst hat benannt/
was Wir nimmer können nennen.

4.

³⁸ aethram pro aetheram T metri causa

30 Gott/ der Du den Sommer machest
 gleich dem Winter/ der Du bist
 unser GOtt zu aller Frist/
 wenn Du zürnest oder lachest/
 Dass es uns nach Wunsch ergeht/
 wenn Wir uns zur Luft beweiben/
 35 dass man bald getrennet steht/
 dass kanst Du allein betreiben.

5.

Nichts ist GOtt/ Dir zuvergleichen.
 Nichts nicht an Dir strafbar ist.
 Was Du tuhst/ ist ohne List.
 40 Alles muss zum Trost gereichen
 denen/ die von Hertzen Dich
 so in Freud als Trübsal liben/
 und dich fein vernünftiglich
 hie in der Gedultschul üben.

6.

45 Drum so seyd mit GOttes Willen/
 der die Seinen Hertzlich libt/
 wenn er sie aufs höchst betrübt/
 nur zu frieden; Lasst Euch stillen
 mit der Hofnung/ die uns Freud
 50 auf das Leid pflegt zu versprechen.
 Wenns im Winter hat geschneit/
 pflegt der Sommer aufzubrechen.

7.

55 So wenn jener Freuden-Sommer
 mit dem libsten Tag entsteht/
 da aus seinem Grabe geht/
 was mit Schmertzen/ Angst und Kummer
 durch den Tod zertrennet ward;
 Da wird Eure Sommrin leben
 und Euch nach der besten Art
 60 erst die rechte Freude geben.

8.

Hir ist nie so schönes Wetter/
 dass nicht bald ein Sturm entstünd;
 Auch was itzt so liblich grünt/
 krigt bald seine kahle Blätter.
 65 Selbs das schöne Wäyenkleid/
 dass wir jüngsthin freudigst schauten/
 ist mehr denn halb abgemeit.
 Was ists denn/ worauf wir bauten?

9.

70 **Lasst die Lilien/ lasst die Nelken/
und was ihrer Gattung ist/
stehn; Was gilt/ in kurtzer Frist
Sie bald von sich selbs verwelken?
Aber wol uns! Unsre Freud/
die der jüngste Tag wird bringen/
wird der Zeiten Streit und Neid
75 also nimmermehr verdringen.**

10.

80 **GOtt/ der nach dem Winter machet/
dass der Sommer wieder kö mmt/
hat im Himmel schon bestimmt/
was uns ohne Sünd zulachet.
Da wird/ Herr/ der Sommrin schein
die Euch itzt so schmertzlich kränket/
Hertzerfreulich Ewig seyn.
Freut Euch/ wenn I hr diss bedenket!**

11.

85 **Sprechet: Gott/ Du machst den Sommer
gleich dem Winter. Deine Hand
ist zur Gnüge doch bestand
unserm Trübsal/ unserm Kummer.
Du hast alles wol gemacht.
90 Leben/ Tod/ Freud/ Leid entstehet
nur von Dir. Dein Nam und Pracht
werd auch fort durch mich erhö het!**

*Wolmeinentlich übersagen
von
Johan Sebastian Markard.*

45. Adr: Anna Sommer – Aut: Andreas Virginius (Ultimus honor exequiis, quas /.../ Annae Sommer, /.../ conjugi suea /.../ XX. Junii Narvae Livonorum terrae gremio demandandae, /.../ Henricus Stahel, haered. In Neßnowa et Kallina, per Ingriam et Alentakiam superintendens, conjugali et condolentiae plenissimo adfectu adparabat /.../ exhibitus a professoribus Academiae Gustavianaæ, et amicis. Dorpati Livonorum, 1655: J. Vogelius)

UUB, [Tartu UB]
EPICEDIUM

*Et mihi gratarer, tibi si gratarier aequa
Nunc concessisset Sors, Reverende Pater;
Sed quia mors luctu plenum te reddidit, eheu!
Dum rapuit sociam trux Libitina tori:
5 Non ad saltandum Lyrico te carmine ducam,
Sed solamen erit, quod tibi pango metrum.
Ipse Ministerii Praesul celeberrimus audis,
Hinc luctum arcebit pectore sermo DEI.
Non equidem, fateor sine causa tristis es, atque
10 Turbatus defles aspera fata miser.
Namque minor casus permagnos saepe dolores,*

*Excitat infaustis, ut quoque dira petant:
 Impetus ergo mali graviorem maximus auget
 Luctum, quo luctus major, et ipse dolor.
 15 Pignoribus lecti privantur quando Parentes,
 Aut patre progeniti, vel genetricе sua,
 Hoc dabit immensos cruciatus, atque dolores,
 Sed magis emacerant vincula rupta tori.
 Non dolor est major, quam cum violentia mortis
 20 Unanimi solvit corda ligata toro.
*Haut inopina tamen charae mors conjugis omnem
 Pectore spem tollet, Vir Reverende, tuo.
 Hanc immundiciem mundi Dilecta relinquens
 Post obitum cernit tecta beata poli.**

Sic doluit luctum Reverendiss. Dn Superintendentis Narvensis, sui in Christo
 Fratris plurimum suspiciendi
 ANDREAS VIRGINIUS, SS. Th. D.
 et Profess. in Reg. Acad. Dorpat. prim.
 nec non p.t. ejusdem RECTOR.

46. Adr: Anna Sommer – Aut: Gabriel Elvering (cf. 45)

 UUB, [Tartu UB]
 EPICEDIUM

*Quem charos inter numerat Regnator Olympi
 Adfligit dura prosequiturque cruce.
 Sunt tibi, Vir divae doctrinae luce coruscans,
 Exempla ex sacris cognita cuncta libris.
 5 Te quoque cum trepidis crux, castigatio morsque
 Sangvine junctorum presserit atra modis;
 Jure DEI natis, patrio quos nutrit amore,
 Adnumero atque tuae praedico fata domus.
 Namque iterum dulci Viduaris compare lecti,
 10 Aspera degustans pocula tristitiae.
 Dimidium cordis, sublata conjugе casta,
 Crediderim abrumpi vulneribusque teri.
 Ergo quis haud fractum tibi pectus credat acerbo
 Dilectae casu conjugis atque piae?
 15 Quae gratis sociae vicibus defuncta prioris
 Nunc etiam viduos deserit, ANNA lares
 Verum quam multis medicinam porrigis ipse
 Ex verbi theca divite melliflui;
 Hanc quoque prudenter praesenti adhibeto dolori,
 20 Leniet illa crucis, corda quod urit, onus.
 Scis tibi praemissam, non diro verbere mortis
 Amissam sociam deliciumque tori.
 Sommeria aestivo contendit in algida coeli
 Tempe, quae decorat ceu rosa flore novo.
 25 Te sibi pro coeli decreto jungier olim
 Optat et aethera gaudia sede capit.
 Hinc nimiis animum curis urgere dolentem
 Desine, restituit maxima damna DEUS.*

Sic Reverendissimi et plurimum

observandi Dn. Affinis sui do-
lorem mitigat
GABRIEL ELVERING,
SS. Th. Profess. Ordinarius, et Bi-
bliothecc. Regius in Acad.
Gustaviana.

47. Adr: Anna Sommer – Aut: Olaus Wexionius (cf. 45)

UUB, [Tartu UB]
EPICEDIUM

Chara *Tibi lux olim et Conjur maxime Praesul*
ANNA suo Sommer stemmate clara satis,
Quod repente tuos oculos fugiit scio moeres,
Est nam hoc naturae portio magna hominis.
 5 *Ast virtute tua quid dignum, ut mente volutas,*
Vir magne ac celebris, comprimis hos gemitus;
Nam Matrona dies tecum quae svaviter omnes
Vixerat in terris, nunc super astra cluit!

Adm. Rev. Dn. Superintendenti,
 caeterisque lugentibus in sola-
 tium, occupatissimus
 sc.
 M. OLAUS WEXIONIUS,
 Polit. et Hist. Prof. et h.t. Fac. Ph.
 DECANUS.

48. Adr: Anna Sommer – Aut: Georgius Preusius (cf. 45)

UUB, [Tartu UB]
EPICEDIUM

Praesulis in patriam meritis fulgentis amatam
Subtraxit sociam pallida parca toro;
Cui virtus, pietas, cui candor stamina longae
Cessissent vitae, si modo fata darent.
 5 *Seu tibi forma genas decorant seu suppetit aurum, et*
Annis maturum fulget honore caput.
Stat sua cuique dies, qui fixa lege peractus
Nos vocat e terris ad sacra tecta poli.
Quos animat sincera fides, suffulta cruenta
 10 *Morte Redemptoris, quem timet atra domus.*
Ex oculis igitur lachrymas depelle calentes
Ex pectus curis exonerato vagis.
Quos linquit sese natos matrona, carentes
Jam genitrice pia, gratia diva teget.
 15 *Ut coeli fiat decretum, vota feruntur,*
Cur factum infectum lubrica turba petit?
Gaudia quae carpit coeli diademate splendens
Gazis praeponit divitiisque Tagi.
Haec eadem fletum modo sistant, Maxime Praesul,
 20 *Post seros annos adtribuenda Tibi.*

M. GEORGIUS PREUSIUS,
 SS. Theol. Prof. Publ. Extraord. et Phys.
 ac Arithm. Ordin.

49. Adr: Anna Sommer – Aut: Andreas Flojerus (cf. 45)

UUB, [Tartu UB]
EPICEDIUM

*Heu nostri properat decurrere flosculus aevi!
 Heu cito, purpureus quondam, color ora relinquit.
 ANNA sua gentis vivebat SOMMERiana
 Nobile delicium, decus immortale Cohortis
 5 Semper Faemineae, claudit sua lumina letho.
 Antistes STAHLI gravem seponito luctum
 Conjux namque Tibi quondam Charissima vivit
 Cunctaque perpessa est, haeres nunc coelica gaudet.*

Calamo condolenti haecce app.
 M. ANDREAS FLOJERUS,
 Sch. Reg. Neoviensis Rector.

50. Adr: Anna Sommer – Aut: Daniel Flojerus (cf. 45)

UUB, [Tartu UB]
 EPICEDIUM

Prosopopoeia pie Defunctae.

*Ast mihi crede, manet foedus priscum; morieris!
 Vincula nam mortis tollere nemo valet.
 Vanum igitur remanet fallaci sidere mundo,
 Viscosasque ejus quaerere semper opes.
 5 Certa est mors vobis, incerta est omnibus hora:
 Qui sapit, est mortis nocte dieque memor.*

Ultimo honori sc.
 M. DANIEL FLOJERUS.

51. Adr: Georgius Stiernhielm – Aut: Johannes Megalinus (Memoriale mathematicum seu problematum mathematicorum syllabus, quem ex variis authoribus concessit cujusque ad tenorem /.../ Georgi Stiernhielmi, haeredit. in Wasula et Stiernlund, R. Sveo-Gothici archivi custodis /.../ filios natalibus et /.../ Gustavum <et> /.../ Ottонem Stiernhielmios informavit Johannes Megalinus, phil. candid. LL. et antiq. studiosus. Dorpati Livonorum, 1655: J. Vogelius)

Tartu UB (def)
 DEDICATIO

Genere, Virtute et Eruditione Nobilissime Domine
 DN. GEORGI **Stiernhielm**/ Custos Archivi dignissime,
 Patrone benignissime.

Illa mei studii quae cernis paucula signa
 Debentur merito MAGNE PATRONE Tibi.

Namque tuo semper juveras mea caepa favore
 In me sunt dextrae tot benefacta tuae.

5 Nec verbis tantum quin re quoque saepe juvasti,
 Et dederas faciles in mea vota vias.

Absens saepe tuam mirabar scriptaque famam,
 Plura vidi praesens quam mihi fama tulit.

Tempore quo primum tibi notus amore sciendi
 10 Alloquioque tuo notior ipse fui

Et placuere mei Tibi MAGNE PATRONE labores
 GUSTAVOque meo pectore junctus eram.

OTTONIque probo qui me constanter amavit,
 (Moribus et studiis par ea biga suis)

15 Tempora sermoni dedimus bene multa Latino
 Atque simul Graeco, res velut ipsa tulit.

Musarum coelum variandi totque colores

Quot cum vult mutat Proteus ille senex.
 Quemque Typis facunde senex, lucique dedisti
 20 Quem quoque donasti MAGNE PATRONE mihi,
 Descriptsique metro nec non sermone soluto,
 Monstravi et sociis munera quanta meis.
 Nec minus hi placuere mei velut ante labores,
 Dum <...>ideras methodum MAGNE PATRONE meam.
 25 <.....H> ista <.....> tenorem
 Te<...> Person<.....>
 Articulos seculi, Solis Lunaeque la<t.....>
 Ut meus inventus *CHRONICUS orbis* habet.
 Quemque metro scripsi de prima origine mundi
 30 Praesentem ad nostri temporis hanc faciem.
 Cui placeat brevitas ibi per compendia cernat,
 Historias mundi versibus exiguis.
 Carmine subjunxi quoque commentaria cunctis,
 Quae quid se deceant sufficienter habent.
 35 Aeras quas alii longis struxere columnis,
 Mobilis ecce meus *CHRONICUS orbis* habet.
 Inde *Geographicam* faciem veteremque novamque
 Versibus et paucis pinximus in Tabulis.
 Astriferum in plano terris aptavimus orbem
 40 Et gressus Phoebi sydereosque gradus.
 HERBARUM vires varias morbosque tenaces
 Atque notas *Physicas* scripsimus arte nova.
 Nam consignavi sphaeris ductilibus illa
 Quae vix alterius pagina longa capit.
 45 Haec mea me prohibet paupertas reddere luci,
 Forte tamen videat candida posteritas.
Doctrinam morum, Praecepta Politica regni,
 Temporis et studii pro ratione legi.
 Singula cum tradi nequeant juvenilibus annis,
 50 Quae restant mores nos docuere tui:
 Discursusque boni mensam decorantia dicta
 Atque sales dulci debita dona cibo.
 Usque tamen legimus generosa *Mathemata*, certam
 Cum studiis praxin junximus atque bonam.
 55 Nunc etenim numeros hodiernis usibus aptos,
 Cum totis fractos vidimus arte brevi.
 Jam *Decimas* etiam signavimus ordine Cyphras
 Queis campi et montes, undaque vasta patent.
 Nunc nostras tenuit numerosa *Logistica* mentes,
 60 Qua licet astrorum conciliare vias.
 Inde *Geometricas* varia ratione figuras,
 Ordine tam facili struximus atque brevi.
 Per numeros varios atque instrumenta jucunda
 Lineolas veteres lineolasque novas.
 65 Pingentes, inde augentes, mox et reducentes,
 Planaque cum planis corpora corporibus.

Hinc coeli et terrae faciem spectavimus altam,
 Struximus et *Sphaeram, plana, globosque* simul.
 Cogentes rapidas per ahenea *Tympana* stellas,
 70 Rite terebratum *Rete* subire meum.
 Per varias classes, obliquo tramite Phaebi,
 Pinximus assvetos flamea signa gradus.
 Atque *umbras* varias de Phaebi lumine sparsas,
 Ex umbris horas vidimus atque dies.
 75 Fecimus hinc *orbes, Quadrantes*, inde *Cylindros*,
 Atque novos priscis junximus usque modos.
 Post *arcem* vidimus quae *Fortia* maenia reddit
 Aggere congesto, tutaque tecta facit.
 Nec tantum chartis munimina pinximus albis,
 80 Struximus, in campo singula conspicuo.
 Atque novo *Baculo* sibi quem meus optimus OTTO
 Te monstrante viam struxerat assiduus:
 Ala, latus, facies, capitalis, cortina, collum,
 Hoc Baculo metrico sufficienter erunt.
 85 Attigimusque tuam *Renovati Archimedis* artem
 Lustrantes gradibus mixta metalla suis.
 Atque tuam semper numeris aptavimus *Harpam*,
 Quae dat subtiles per sua fila vias.
 Nec centrum dubium metuit nec schemate tardat
 90 Stat centrum infallax schemata feta dabit.
 Scripsimus haec vitae quantum sibi postulat usus,
 Caetera sunt aliis concumulata libris.
 Nam tantum scimus memori quae mente tenemus,
 Haecce sciunt *gnati* singula rite tui.
 95 Illa mei possunt GUSTAVUS et OTTO sodales,
 Plura dabit tempus plura DEUSque dabit.
 Suscipe nunc tenues mi MAGNE PATRONE labores,
 Qui bene quod novi complacere tibi.
 Pro Te supplicibus venerabor *Numina* palmis
 100 Longaevus, salvus, conspiciare senex.
 Narva prius cursu *Beibam* petat alta supino
 Gratia quam meriti possit abire tui.
 Te linquens *Levonus* discedo maestus ab oris
 Vale PATRONE diu, vale mihiique fave.

Qvi

Generositati Tuae
 Summo Reverentiae et gratitudinis
 adfectu devinctissimus
 sum futurus
 dum vixerim
 Johannes Megalinus.

inventorum: Eaque non minus sculptorem exspectant quam a nobis avide exspectantur placet in honorem Authoris, Pastori mei, plurimum honorandi,
sequentia Epigrammata a me conscripta subjungere.

I.

In Tabulam Mnemonicam ARITHMETICAE
UNIVERSALIS.

Iliada nuci veteres clausisse putantur;
Vera sed en referam mira nec illa minus.
In modica Tabula numeros STIERNHIELMIVS omnes
Exhibit immenso maximus ingenio.
 5 *Haec etenim numeros hodiernis usibus aptos.*
Cum totis fractos exhibit arte nova.
Hic latet egregiis numerosa LOGISTICA signis
Hic TERRAE MENSOR quod velit inveniet
Arcanumque ingens PROPORTIO MVSICA rerum
 10 *Schemata si placeat cernere prompta venit*
ALGEBRA subtilis qua non elegantior ulla est,
His paucis signis ingeniosa latet.
Non te jam timeo confusa oblivio rerum
Sufficient numeris signa venusta suis.

II.

In HARPAM Mathematicam seu LYRAM
Proportionalem.

15 *Tentabant multi doctas lirare figuras*
Per varios gyros, innumeros numeros.
Miscebantque suis deliria plurima liris,
Circinus ut sulcus, linea lira fuit
Schemata struxerunt, Problemata, Lemata multi
 20 *Per circos multos lineolasque vagas.*
Innotuit tandem docto venerabilis orbi,
Circinus inventor cui Galilaeus erat.
Cruribus hinc planis proportio debita rerum
Ordinibus variis aperiendo venit.
 25 *Saepe sed hae lirae centrumque frequenter aberrant*
Deliratque gradu linea lira suo.
Hoc coeli et terrae metator Metius ingens,
Viderat et medicas attulit ipse manus.
Pingera monstravit per Schemata longa figuras,
 30 *Si sua sit praesto Regula plana tibi.*
Sed dic num facile est tot Schemata pingere chartis
Plurima quae praxis reddere rite negat.
Vidit id Uraniae, Themidos, Sophiaeque sodalis
Qui de STELLATA CASSIDE nomen habet
 35 *Vidit et indoluit, reperit, docet applicat HARPAM*
Nomine sub lusus seria vera parans.
Non error centri terret nec Schemata tardant

*Stat centrum infallax Schemata seta dabit.
 Non delirantes liras haec LYRA ministrat
 40 Concordat numeris haec nova LYRA suis.
 Haec numeros totos, fractos, rerumque tenorem
 Personat, hos oculus mens capit atque sonos.
 Hanc miram Lyram aut HARPAM tibi dulcis Apollo
 Sume, decet Musas haec nova Lyra tuas.*

*III.
In BACULUM METRICUM.*

*45 Corpora dum viso dum longos metior agros:
 Et sphaeras libro; tempora dumque noto:
 Tormenta explodo: fossas munimine cingo:
 Hicce meos BACVLVS dirigat usque manus.
 Alcidis clava est, Neptuni fuscina longa
 50 Hasta Minerva tua est, Mars tuus ensis erit.
 Cylleni virgam, Thyrsumque extolle Lyaee
 Nequitiaeque faces parve cupido tuas.
 Hoc sibi Mars optat, vult hoc gestamen Apollo
 Delicias videant Mars et Apollo suas.
 55 Hoc sibi gestamen Musarum nobilis ordo
 Expedit, hunc Baculum docta Minerva cupit.*

*IV.
In ARCHIMEDEM REFORMATUM.*

*Vsque tuam miror Renovati Archimedis artem
 Qua praxi facili mixta Metalla probas.
 Qua cuprum fallax vero discernis ab auro,
 60 Quodque ignisque aliis, hoc dabit unda tibi.
 Tu solus video mensura, pondere, cyphris
 Quae lateant veteres quae lateantque novos.
 Lynx solidum corpus visu penetrare putatur
 Aquila sed solem solo videre diu.
 65 Plus tu lynce vides solidum penetrando metallum
 Ingenio miro, sed ratione bona.
 Tu solus Solem cernis Veneremque venustam.
 Distingvens gradibus mixta metalla suis.
 Aquila ceu volucres superat sublimior omnes,
 70 Inventis sic tu maxima scripta tuis.*

53. Adr: Elaus Nicolai Tollenius – Aut: Gabriel Elvering (Een kort och eenfaldigh Boot-Predijkan, Hållen i Dorpt Anno 1655. den 25. Maji, på den förste stoore allmenne Solenne Fast- och Böönedagen, uthi Afftonsången aff Elao Nicolai Tollenio, Gudz Ordz Tienare dhär sammestädes wijdh Mariae Kyrckio. <Dorpat, 1655>: J> Vogel)

LNB, [Tartu UB]
EPICEDIUM

*Labitur in pejus mundus, Dominumque benignum
 Irritat vitiis, queis scatet usque, suis:
 Quo vero possint iram evitare furentem,
 Tolleni cunctos concio docta docet.*

Reverendo et Doctissimo Dn. ELAO TOLLENIO,
Vice-Pastori Dorpatensi ad D. Mariae, Compa-
tri et amico suo honorando festinanti
calamo adposuit
GABRIEL ELVERING,
P.P.

54. Adr: Elaus Nicolai Tollenius – Aut: Olaus Wexionius (cf. 53)

LNB, [Tartu UB]
EPICEDIUM

*In Reverendi et Humanissimi Viri
DN. ELAI TOLLENI, Vice-Pastoris Dor-
pati ad D. Mariae, compatriis, amici et fautoris sui pl. ho-
norandi Concionem, de Seria jam jam agenda
Poenitentia, publicatam.*

*INVICTI Sveonum REGIS dum Jussa capessit
Dorpatum sancta, ac concelebrare dies
Jejunii³⁹ atque precum devota mente parata est,
Queis placandus erit, qui bonus ipse DEUS;
5 Suggestum scandit sanctum Tollenius, atque
Voce docet clara, portio quanta siet
Aeternae CONVERSIO nostrae VERA salutis
Quam mandant multis dogmata summa DEI.
Hortatur simul ut peccati tabe relicta
10 Nos convertamus: sic pia corda decet.
Hunc igitur Domini MYSTEN nos rite sequamur,
Dum veniam fassis vult tribuisse DEUS.
Sic tandem poenis, et culpae labe, remotis
Nos coeli tectis ipse beat Dominus!*

LMque sc.
M. OLAUS WEXIONIUS,
Pol. et Hist. Prof. et h.t.
Fac. Phil. DECANUS.

55. Adr: Elaus Nicolai Tollenius – Aut: Georgius Preusius (cf. 53)

LNB, [Tartu UB]
EPICEDIUM

*Quisquis amat Domini poenam vitare futuram,
In scelus et tristi crimina corde fuget.
Ecce viam tradit Tollenius ore diserto,
Quam te sectatum incommoda nulla manent.
5 Ergo legas animis adtentis atque revolvas,
Quae nunc suggeritur norma sequenda Tibi.*

M. GEORGIUS PREUSIUS,
Prof. P.

1656

1. Adr: Georgius Georgii Gezelius – Aut: Andreas Virginius (Disputatio ethica de fortitudine, quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ sub praesidio /.../ Georgii Preusii, /.../ pro gradu et

³⁹ *JejunI R : Jejunii corr*

privilegiis magisterij philosoph. reportandis, /.../ disputationis exercitio submittit Georgius Georgii
Gezelius. Ad diem 14. Maji /.../. <Dorpat>, 1656: J. Vogelius)

UUB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Laude sua Mavors dirus dignatur alumnos
Atque illis tandem digna Brabeja refert.
Ipsus Apollo suos etiam dignatur honore,
Egregium certe queis diadema parat.*

5 *GEZELI, haut curas, praclare, cruore parandam
Laudem, ast Musarum tu diadema petis.
Nempe velut quondam post agmina multa laborum,
Abstulit auratae vellera Jason ovis.
Sic tu, GEZELI, virtutis praemia tollis,*

10 *Praemia fers studiis splendida digna tuis.
His ito felix, patriamque revisito Sospes,
Meque tibi addictum, sicut amaris, ama.*

Ita virtute atque Eruditione Praestantissimo Viro-Juveni
Dn. GEORGIO GEZELIO pro gradu honoris
in Philosophia summo maxima cum laude
disputanti, amico meo percharo,
gratulari volui
Andreas Virginius, SS. Theol. D.
et Profess. Primar.

2. Adr: Georgius Georgii Gezelius – Aut: Ericus Holstenius (cf. 1)

UUB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Fortis Bellonae quid possit Miles in armis,
Praestenti scripto, Sympatriota, refers.
Aoniis sudans quid possit Miles in arvis,
Exemplo proprio Sympatriota doces.*

5 *Praemia virtutis dare gratus uterque ministris,
Aurum Mars, Laurum culta Minerva solet.
Laurum Consequeris meruit quam Musa, sed Aurum
Mavortis donum, qui dabit inde et erit.*

Hisce Sympatriotae dilectissimo pro Gradu
erudite disputanti Congratulari,
amorem contestari, et fausta
quaevis adprecari voluit
M. Ericus Holstenius,
Hebr. et Gr. Ling. Prof.
Ord.